Zaip 1835

GEOGRAPHIÆ COMPENDIUM

Succinctâ Methodo dispositum, editũq;

A

M. JOANNE STANISLAO FORMANKOWICZ, *Phil: Doct: & Profes:*

CRACOVIÆ,

Apud Hæredes CHRISTOPHORI SCHEDEL, *S. R. M. Typographi.*

Impensis Auctoris.

M. DC. LXXI.

Perillustri & Reuerendissimo
DOMINO,

D. NICOLAO SŁOWIKOWSKI,

Sacræ The. & Iuris Vtr: Doctori. Canonico, & Archipresbytero Infulato, Cracouiensi. Præposito Kielcensi, Protonotario Aposto:

Domino, & Patrono meo Amplissimo.

S. & P.

DVO hæc Homo, & Mundus, Perillustris & Reuerendissime Domine, *quæ rerũ à Deo Opti: Max: creatarum summa-*

compendiumq́ sunt; eam, sapientiæ potentiæ & bonitatis Diuinæ, vim explicitam habent: vt Homo, Summi Maximiq́ Opificis imago sit; & Mundus hominis. ille Deum aliqua refert, spiritu, scientiâ, sanctitate, imperio: Mundus hominem aliqua exprimit, vsq́ adeo, vt ob similitudinem Homo Microcosmos dictus Philosophis fuerit. Homo, Imperator, incola, & hospes aspectabilis huius vniuersi constitutus: Vniuersum ipsum, seu mundus imperij sedes, tantiq́ hospitis amplissima habitatio. Atq́ hoc totum isto cum discrimine, quod ab homine cognosci mundus & possit & debeat, non homo à Mundo. ille siquidem ratione instructus vt sciret de facto; hic ratione destitutus, vt scientiæ humanæ esset locuples argumentum.

Geo-

Geographia [vox nata hinc, quæ explicat Mundum istum inferiorem, tam iuxta eum situm quem inter se mutuo, quàm quem habet cum expanso vndiq; cælo. Eam vt cognoscat dignum se nec degenerem, Homo mundi accola, præstare debet. Nam & posuit nos Deus in terris sub Cælo; vt modo demisso vultu terram, modo erecto contemplaremur Cælum. atqui dum sursum spectantes & stupendam Cælorum machinam attentiore oculo intuentes, deorsum in tellure & eius spatijs dimetiendis hæremus, Geographi sumus. Turpe vero ignorare hominem vbi habitet, vbi viuat & degat, & ignominiosum Terrarum quas inhabitat, & Cælorum quibus vt grandi tecto tegitur situs nescire. quorum quisquis tandẽ ille ignarus fuerit,

)3(ad

ad Vlyssis socios relegandus, qui nescientes vt apud Homerum vbi locorum essent, & ad quam terrã diuertissent, in sues conuersi, vitam inter inertia pecora transegerunt. Quodsi scientias artesq́; omnes ex Reip: commodis metiri libeat, nulla hac ipsâ vtilior fuerit; ex qua Theologi, Iureconsulti, Medici, Historici, Poëtæ, Oratores, & ferè omnes alij scientifici, maxima sibi comparare solent emolumenta. Hinc tot præstantissimi & olim extitere huius studij viri scriptoresq́; Homerus, Eratosthenes, Strabo, Plinius, Solinus, Ptolomæus, aliiq́; multi; & superiori ac nostro sæculo; Mercator, Ortelius, Maginus, Cluuerius, Bertius, Iansonius, Hondius, Blauius, & alij fere innumeri. Ex quibus dum nostram concinnauimus Geographiam,

phiã, absolutam certe adhibitâ inspectione diligẽti operis eximij cognitionem, qui non ignari esse volunt eius studij sane præstantissimi, se acquisituros breui summâ cum animi voluptate polliceantur est necesse. Tibi *vero soli* Perillustris & Reuerendissime Domine, *nuncupatio illius reseruata, vt habeat nostrâ lugubratio Te peculiarem sibi fautorem defensoremq́ sine controuersia talem, cuius præsidio tanquam Aiacis* Cly*peo protegatur. vtq́ hoc ipso perpetuum meum erga* P. & R. *D. V. amorem, gratitudinem, cultum, obseruantiam spectatam testatamq́ iam tandem relinquere valeam. vtq́* Tuo Perillustris & Rdsme Domine *optatissimo auspicio ipsi libello quoddam robur atq́ auctoritas accederet. Haberem hic campum*

pum

campũ laudatissime Præsul, in qu ingenij mei frena laxarem cel brando integritatem morum & virtutũ Tuarũ; sed cũ hæc & ali quæ in Te summa sunt cõmemo rari à me Tibi quod non dubit molestum est, laudesq; Tuas percen sere satis superq; prolixum, & no huic loco atq; chartæ angustæ pro prium; proram ad portum verten do, Ingenij mei laborem admodum pertenuem, exiguũq; munus istud Tuæ *quidem amplitudini mini mè consentaneum, at meæ tenuita ti valdè conueniens, hilari anim suscipito; Atq; idem non ex se quia est paruũ, sed ex animi me affectu qui certe tantus est, quan tus esse potest maximus, metiri ve lis.* DEVS *Optimus Max:* Per illustrem & Rdsm̃. D.V. *lætam & incolumẽ æuo lõgissimo tueatur.*

COM-

Compendij Geographiæ,

PARTICULA I.

GEographia, vt vocabulum eius græcum sonat, est Terræ vniuersæ (quatenus nobis cognita est) descriptio. Differt *à Cosmographia*, Nam hæc est descriptio Cæli & Terræ, & eorum quæ in Cælo & Terra continentur: *à Chorographia*, nam hæc est descriptio vnius alicuius prouinciæ: veluti Hispaniæ, Italiæ, Poloniæ &c. *à Topographia*, quæ est certi seu particularis loci descriptio, vt pote agri siue territorij alicuius opidi seu pagi; in qua etiam arua, prata, arbores, plateæ, & ædificia depicta veniunt.

Cæterum Terræ nomine in Geo-

ographia, non separatim quartum Elementũ vt phisici accipimus, sed complexim terram vnà cum Aquis infusis: vnicus enim ex vtroq; Elemento Globus conficitur, vnamq; & eandem conuexam constituit vtrumq; superficiem.

DESCRIPTIO VERO HÆC VERSATVR *vel* circa Exteriorem Globi terreni cognitionem: *vel* circa Interiorem in eo repræsentatarum regionum enodationem.

Exterior globi consideratio diuidit eum, vel in verum & Realem: vel in pictum, & repræsentatitium.

Realis bifariam consideratur Absolute & Comparate.

De Figura, situ, Immobilitate atq; Magnitudine Globi terraquei.

Absolutè & in se spectatus globus terraqueus, habet quatuor sequentes affectiones

ctiones generales. Figuram, Situm, Immobilitatem, atq; Magnitudinem.

Figura eius est globosa & rotunda; vnde globus seu orbis, itemq; sphæra Terræ.

Situs eius est, quod in medio vniuersi sit collocatus globus terrestris tanquam centrum.

Immobilitas est, quod terra in loco naturali à Deo sibi præfixo est stabilis; & non mouetur secundum se totam motu locali.

Magnitudo siue quantitas globi terre- nispectatur vel in se; vel ratione Cæli. Hoc postremo modo terra cum toto cælo præsertim extremo collata nullam habet proportionem magnitudinis; secus si conferatur cũ inferioribus Cælis planetarum. Primo autem modo magnitudo terræ consideratur, vel in linea, vel in superficie, vel in Corpore. *Magnitu-*

do in Linea eſt vel Perimetralis vel Diametralis. *Perimeter* eſt ambitus ſiue circumferentia globi terreni milliarium germ: 5400. *Diameter* eſt linea craſſitiei globi terreſtris milliarium germ: $1718\frac{2}{11}$ aut 1718 tantum, vel 1720 proxime. Hinc *ſemidiameter* terræ complectitur milliaria germ: $859\frac{1}{5}$ circiter vel 860. *Magnitudo terræ* in *ſuperficie* eſt vel in plana ſuperficie: vel in conuexa. *Superficies plana* ſphęrę terreſtris, eſt area perimetro incluſa mill: germ: 2319545. ſeu mill: germ: 2322000. *Superficies conuexa* ſiue conuexus globi terreni ambitus eſt area quâ tota ſphæra terreſtris conſtat mill: germ: 9277200. vel 9288000. *Magnitudo terræ in corpore* dicitur ſoliditas, itaq; ſoliditas ſiue craſſities globi terraquei, tota ſ.
ipſius

ipsius moles, trinâ dimensione longitudine, latitudine, & profunditate constans, complectitur fere mill: germ: 265 69 33 936. aut 26 62 560 000.

De Cardinibus Mundi

Talis fuit globi terrestris absoluta consideratio Sequitur comparata, quando nimirum globus terrestris cum cælesti cui directe subijcitur comparatur. Hoc respectu globus terrestris diuersimode distinguitur.

Et Principio quidem in Cardines, 4. siue Plagas mundi 32. Quatuor mundi cardines, ducuntur ab Ortu solis & occasu, à meridie, & media nocte: suntq; Oriens, Occidens, Meridies, Septentrio. His quatuor aliæ interponuntur Regiones; inter septentrionem, & orientem æquinoctialem, Oriens æstiuus; Inter orientem æquinoctialem ac meridiem, oriens hibernus siue

brumalis; inter ſeptentrionem & occidentem æquinoctialem, occidens æſtiuus; inter occidentem æquinoctialem & meridiem, occidẽs hibernus ſiue brumalis.

Reliquæ plagæ 28. intermediæ ſiue compoſitæ & decompoſitæ ſunt, à prioribus ortæ; & iuxta numerum ventorum minus cardinalium recitantur. Quorum ventorum nomina Germanico-holandica deſcripta ſunt in latiori horizonte globorum Geograph: Illis autem 4. Cardinibus ſeu plagis præcipuis, 4. quoq; venti cardinales reſpondent, duobus Manilij verſibus contenti.

Aſper ab Axe ruit Boreas, venit Eurus ab ortu
Auſter amat mediũ ſolẽ, Zephyruſq; cadẽtẽ.

Inueniuntur IV. Mundi cardines in quolibet horizonte per lineam Meridianam. Similiter plagæ omnes exhibentur, à compaſſo ſiue Pyxide nautica. De

De Partibus & Circulis Globi Terreni.

Distinguitur deinde superficies Globi terraquei in partes & Circulos terrestres.

Primum enim Axis in Globo constituitur, siue linea recta, per centrum terræ traducta; quæ est totius Mundi Diameter. Extrema Axis puncta dicuntur Poli Mundi; quia totus mundus, circa ea conuertitur: vnum dicitur Polus Arcticus; Alterum polus Antarcticus quasi Arctico oppositus.

Porro, propter diuersam Axis Mundani in diuersis terræ partibus inclinationem & acclinationem; mutuamq; Circulorum horizontis & æquatoris intersectionem, de quibus mox, Globus est vel Rectus vel obliquus, vel Parallelus. ***Rectus globus est*** in quo horizon & Æquator se

se ad angulos rectos secant, poli ipsi Horizonti incumbunt. *Obliquus est*, in quo dicti Circuli ad angulos obliquos se intersecant; polorumq; est alter supra, alter infra Horizontem. *Parallelus est* in quo æquator est horizonti parallelus, seu cum ipso coincidit; polorumq; alter directè punctum cæli verticale; alter eius oppositum respicit.

Deinde Octo præcipui assignantur Globo terrarum circuli, qui sunt Æquinoctialis siue Æquator, Zodiacus, Meridianus, Horizon, Tropici duo; totidemq; Polares.

Circuli hi sunt lineæ rotundæ in globi terreni superficie secundum longitudinem conceptæ, & circulis cælestibus homologæ. *Distinguunturq́* pari numero in Maiores & Minores. *Maiores dicuntur*, qui idem cum globo obtinēt cētrum, ipsūq; globum in duas secant partes æquales

æquales. Sunt autem Æquator, Zodiacus, Meridianus & Horizon: Qui rursũ sũt Fixi, atq; Mobiles. Fixi siue immutabiles eundem perpetuo locum in globo obtinent. Sunt autem Æquator & Zodiacus. Mobiles siue mutabiles non eandem in globo sedem obtinent, sed multipliciter, pro varia regionũ atq; locorũ mutatione mutantur Suntq; Horizon & Meridianus. sed de singulis breuissimè agendum.

Æquator qui & Æquinoctialis circulus, & Æquidialis dicitur, est ille Circulus maior globi terreni qui eum diuidit in duas partes æquales, septentrionalem & meridionalem, siue in duo hemisphæria Septentrionale & Meridionale, æquali spacio ab vtroq; Polo distans, & medius inter eosdem mundi Polos intercurrens Hunc circulum quando sol attingit, æquale toto orbe ef-

ficit diei ac noctis ſpatium: vnde & nom n ei quæſitum.

Zodiacus ex obliquo Æquatorem interſecat, & ex vna parte Tropicum Cancri, ex altera Tropicum Capricorni apprehendit: ſub hoc ſol perpetuo progreditur; & in quo ſunt XII. ſigna cæleſtia.

Horizon eſt Circulus Maior mutabilis, qui conſpectam mundi partem ab inconſpecta dirimit; hoc eſt Inferius H miſpherium à ſuperiore. Mutabilis dicitur Horizon atq; multiplex, euntibus in ortum, occaſum, ſeptentrionem, meridiem; aut quamlibet aliam mundi plagam. Eſt autem Duplex Rationalis & Sẽſibilis quem ſenſu viſus percipimus. Rationalis verò ratione & intelligentia percipitur Eſtq; circulus ille qui Globo circumpoſitus & baſi eius inſiſtens, dirimit totum globum, in duas æquales partes; quarum altera

tera quæ ſupra eminet, hemiſphærium ſuperum: altera quæ infra deprimitur Hemiſpherum inferum deſignat. Eſtq; is iterum Triplex Rectus, Obliquus, & Parallelus; ſecundum quem etiam triplex globus Rectus, Obliquus & Parallelus: de quo iam diximus.

Meridianus, Maior mutabilis circ. eſt qui per polos mundi, & dati cuiuſlibet loci verticem ductus, æquinoctialem ex tranſuerſo interſecat, totumq; terræ orbem in duo hemiſphæria, ſiue in duas partes diſpeſcit; alterâ eius medietate ad ortum; alterâ ad occaſum relictâ. Mutabilis dicitur meridianus; quia quando vel tantillum locum mutamus in ortum aut occaſum, alium atq; alium continuo nanciſcimur Meridianum. Hucuſq; circuli maiores.

Circuli Minores ſunt, qui diuerſum habent centrum, à globi centro, qui-

què globum in duas partes diuidunt inæquales. Sunt verò *Tropici duo* Cancri & Capricorni Totidemq; *Polares* Circulus nimirum Arcticus, & Antarcticus.

De Zonis.

Per IV. hos circulos minores, qui ſicut & maiores, cæleſtibus ſubiecti ſunt, & omni ex parte Analogi, veteres Geographi diſtribuerunt globum terræ, ab aeris temperie vel intemperie, in ſegmenta aliquot, quæ ζωνὰς id eſt faſcias aut cingula nominarunt. Hæ Zonæ vulgo Quinq; à Geographis recenſentur vna Torrida; Duæ Temperatæ, & Duæ Frigidæ.

Torrida Zona, quæ & Media dicitur eſt illud ſpatium quod continetur inter duos Tropicos, & in ſuo medio complexu æquatorem habet. Quantitas & latitudo eius eſt 47. grad: qui multiplicati per 15. efficiunt milliaria Germanica 705.

Zona

Zona Temperata eſt vel ſeptentrionalis vel meridionalis. Septemtrionalis eſt quæ comprehenditur inter Tropicum Cancri & Circulũ Arcticum; gradus 43. ſiue mill: germ: 645. lata. Meridionalis eſt quæ continetur in medietate meridionali inter Tropicum Capricorni & Circulum Polarem Antarcticum. Eiuſdemq; cum priore eſt latitudinis.

Zona frigida quæ propter Remotionem ſolis horret frigore Eſt itidem vel ſeptentrionalis vel meridionalis. Septemtrionalis eſt, quæ ſumitur à polo Arctico, vſq; ad mundi polum Antarcticum. Gradus 23. cum ſemiſſe ſiue milli: 352. ampla. Meridionalis ſiue auſtralis frigida eſt, quæ ſumitur à Circulo Polari antarctico vſq; ad mundi polum Antarcticũ; eiuſdemq; cum priore eſt amplitudinis.

De Va-

De Varijs incolarum terrestrium Nominibus & Accidentibus.

Incolas porro Zonarum veteres pro diuersitate vmbrarum corporum in Meridie discreuerunt in Amphiscios atq; Ascios. Heteroscios. & Periscios. *Amphiscij* sunt, qui inter vtrumque Tropicũ in Zona torrida manentes, vtrinq; iaciunt vmbram Meridianam diuersis Anni temporibus, scilicet tam in Boreã, quam in Austrũ. *Ascij sunt* qui nullam habent vmbram Meridianam, quando scilicet illorum vertici sol directe imminet. *Heteroscij sunt*, quibus vt pote incolis Zonarum temperatarum, versus vnam duntaxat partem, proijcitur vmbra meridiana, scilicet vel in Boreã tantũ vel in Austrũ, tantũ. *Periscij sunt*; quibus vtramq; zonam frigidam inhabitantibus vmbra meridiana circulum facit.

Insu-

Insuper pro Diuerso habitationum oppositarum situ distinxerunt veteres incolas terræ in Periœcos, Antæcos, & Antipodes.

Adextremum ex Phænomenis seu apparentijs Cælestibus in XIII. Classes siue habitationes distribuūtur: prima est sub ipso Æquinoctiali. Sex sunt ab æquinoctiali sub quolibet & inter quemlibet Circulum, versus polum Arcticum. Sex ab eodem æquinoctiali eadem ratione versus polum Antarcticum: quæ singula prosequi compendium nostrum non permittit.

De Parallelis & Climatibus.

Secundum aliam rationem, nempe per Quantitatis dierum variationes, distinguitur etiam terræ superficies seu spatia prædictarum Zonarum in Paralleles & Climata. Quippe qui sub ipso æquatore consistunt in Sphæra recta perpetuo diem nocti æqualem XII. horarum

rarum habent: quanto autem aliqua regio latus ab æquatore versus alterutrum polorum declinauerit, tantò plus æstate diei longissimæ, vel vicissim hyeme noctis quãtitas augetur. Proinde veteres Geographi pro diuersa quantitatis dierum variatione, diuersas plagas terræ distinxere, quas vel Parallelos vocarunt; vel Climata.

Paralleli sunt Circuli æquali vndiq; spatio ab se inuicem distantes, ab occasu in ortũ ducti, quibus dies longissimi quadrante horæ abinuicem differunt & augentur.

Climata sunt terræ spatia, duobus parallelis inclusa, secundum quæ dies longissimi augentur & à se inuicem differunt, horæ semisse, siue mediâ horâ. *Suntq;* vel Septentrionalia vel Meridionalia.

Septentrionalia sunt 24. & oriuntur versus septentrionem quæ sunt

prin-

principalia, & denominationem in certis locis pleraq; obtinent. *Meridionalia* sunt itidem 24. versus meridiem, & priorum quasi anticlimata. vtraq; hæc extendunt se ad eleuationem poli gr: *66.* 31 min: vbi dies longissimus est 24. horarum: *Inde verò* ad polos vsq; Climata minus certa assignantur; propterea quod dies longissimi non augeantur amplius per dimidias horas, sed per integros dies, septimanas, & menses, ita vt sub ipsis polis, hemisphæriorum alterum VI. mensium luce perpetuâ exsiccetur; altero in densissimis tenebris languente.

Si scire queas sub quo Parallelo vel Climate, quilibet locus positus sit, considera numerum horarum, cuius longissimus eius loci dies superat diem sphæræ rectæ, qui semper horarum est XII. is enim duplicatus, ostendit numerum Climatũ:

qua-

quadruplicatus, exhibet numerum Parallelorum.

De Globi in 360 partes sectione: & de Longitudine ac Latitudine eius.

At potissimum quemadmodum omnis Circulus à Geometris in 360 partes secatur: ita eam sectionem sphæra globusq; admittit; in quam tanquã segméta minora quæ gradus vocantur, eius superficies diuiditur. singuli gradus in 60. distribuuntur scrupula seu minuta prima. hinc facile est inuenire ambitum totius Orbis terrarum, assignatis vnicuique gradui 15. Milliarijs germ:

Cæterum gradus per quos terra diuiditur Alij sunt longitudinis: alij latitudinis,

Gradus Longitudinis describuntur per circulos meridianos, initio facto ab Azoribus insulis: Eorum 36. in globo numerantur, singuli 10. gra-

gradus continentes, qui numerus decennalis multiplicatus cũ 36. cõficit gradus 360. *Gradus Latitudinis* distinguuntur per parallelos, qui ab Æquatore ad alterutrum polum nouem numero, decem gradus singuli continentes: Numero hoc nouenario quadruplicato, eueniunt in vniuersum 36. paralleli.

Longitudo igitur Regionis est spatium Æquatoris duobus Meridianis, vno Azorum insularum, vnde initium ducitur, altero ipsius regionis aut loci comprehensum. Huius longitudinis indagãdæ Methodus licet sit cõtrouersa, inuenitur tamẽ non male cõmuniter ex Eclipsibus Lunæ.

Latitudo verò; est loci seu Regionis ab Æquatore versus alterutrum polorum recessus. Estq; hæc *vel* Borealis siue septentrionalis in nostro scilicet hemisphærio ab Æquatore ad polum Arcticum: *vel*

Austra-

Australis siue meridionalis in inferiori hemisphærio ab Æquatore ad polum Antarcticum. *Vtraq; hæc* est æqualis altitudini seu eleuationi poli, sicut è contra, eleuatio poli eadem est quæ latitudo regionis. Hinc inuentâ eleuatione Poli alicuius loci, inuenitur eius latitudo, & e contra.

De Globo Repræsentatitio vel Picto.

Satis eò loci pro compendioli ratione, de globo terreno Vero & Reali, vt est in se, scilicet: sequitur, Pictus siue repræsentatitius, qui fit *vel* in Rotudo *vel* in Plano.

Globus terrenus pictus in rotundo est talis globus seu sphæra terrestris, in qua per certas Circulorum mensurationes, repræsentatæ sunt Mundi regiones & vrbes. *Eius consideratur, Fabrica* siue Descriptio. Et *Vsus.*

Fabricæ Duæ partes Externa vna

eaq; *vel* ſeparabilis *vel* inſeparabilis. Et Interna Altera. *Pars externa ſeparabilis* dicitur alueus globi *conſtans* ſtatumine ſeu Baſi in quo ſtylobata ſiue pedimentum vnà cum compaſſo pro globi rectificatione: & in quo pedeſtale cum quatuor Columnis globum ſuſtinentibus. *Et conſtans* Capitulo ſiue Horizonte qui baſi eſt parallelus in cuius ora intima deſcriptus eſt Zodiacus ſecundum ſigna & gradus: medio loco calendarium Romanum cum aureo numero, & nominibus menſium & feſtorum: extimo venti 32. pro vſu nautico & diſtinctione plagarum mundi; ſicut enim venti ita & plagæ mundi diſtinguuntur. *Inſeparabilis pars globi eſt* meridianus externus æneus qui horizonti ligneo in duplici fiſſura inſiſtit ad angulos rectos, ita vt eleuari vel deprimi poſſit, & globus ad varium vſum, circum-

cumvolui. Huic affixus est ad polum septentrionalem Circulus horarius cum indice; quia in meridiano fit separatio mediæ diei à media nocte: sectio igitur vtriusq; horæ XII. tam diurnæ quam nocturnæ, ipsi meridiano directè debet incumbere. *Deinde* in eodem meridiano est Axis, circa quem Globus terrenus circumuoluitur: extrema axis puncta dicuntur Poli; alter ad septentrionem Alter ad meridiem.

Pars globi interna est ipsa sphæra seu globus constans picturis necessarijs, & minus necessarijs. *Minus necessaria* sunt auium, piscium, animalium, nauium & aliarum rerum, quas cælatores & pictores ad oculorum oblectamentum: vel ad ostendendam animalium in terra & aqua diuersitatem, appinxerunt. *Necessaria picturæ sunt* vel Lineę, vel loca *Lineæ sunt* vel Geographicæ vel

Nau-

Nauticæ *Geographicæ sunt* Circuli: qui ſunt vel maiores vel minores.
Maiores ſunt *primo Æquator* à quo tota diſtinctio globorum & mappatum dependet. *ſecundo Meridianus:* qui eſt vel Primus vel ſuccedēs. *Primus* qui eſt initium reliquorum meridianorum craſſiori lineaturâ in globo pingitur iuxta inſulam S. Michaelis quæ eſt vna ex Azoribus & quidem tantum dimidius propter maiorem numerandi commoditatem, ductus ab vna extremitate poli ad extremitatem alterius. *Succedentes* ab occaſu lineis nigellis exilioribus per æquatorem verſus mundi polum concurrentibus ducuntur. *Tertiò Zodiacus* ſeu Ecliptica, quæ eſt perpetuum ſolis domicilium & decurſus : pingitur in globo & mappis propter vſum Aſtrologicum, vt ſciri poſſit ſub quo cæleſti ſigno gentes in terra habitent. *Minores*

ſunt

ſunt Paralleli Triplices. *Primò* Tropici duo Cancri & Capricorni: totidemq; Polares Arcticus, & Antarcticus. *Secundò*. Paralleli latitudinum: quales ſunt 16. per denos quoſq; fixi meridiani gradus ducti videlicet 8. verſus boream, & totidem verſus Auſtrum. *Tertiò*. Artificiales ſeu climatum, qui pinguntur in margine meridiani per numerorum notas.

Lineæ Nauticæ alias Hydrographicæ quæ Rhombi dicuntur voce Luſitanicâ, id eſt lineæ itineris, ſunt nũ. 32 quibus ex compaſſo nautico orti deſcribuntur maris itinera, monſtraturq; quo vento de loco in locum nauigare poſſis. PORRO ARS NAVIGANDI *continet hæc* 4. *primò* longitudinem & latitudinem loci, à quo nauigas, & ad quem nauigas. *Secundo*, Differentiam inter longitudinem & latitudinem loci, à quo naui-

nauigas. *Tertio*, Lineam venti seu compassi nautici per quem nauigandum est, quæ dicitur rhombus. *Quarto*. Interuallum itineris marini inter duo ista loca.

Ita fuit pictura linearum : sequitur pictura Locorum. Loca secundum longitudinem & latitudinem in globo apte in intersectionis puncto inscribuntur : suntq; vel maiora vel minora. *Illiusmodi* sunt Regiones Insulæ, Maria, flumina, quæ coloribus inter se distinguuntur. *huiusmodi* sunt vrbes, montes, & syluæ insigniores,

Globi fabricam de qua hucusq; excipit vsus globi qui extendit se ad inquisitionem locorum longitudinis, latitudinis, & à se inuicem distantiæ ; atq; ad omnes alias res ad geographiam pertinentes, quæ melius per se intelligi possunt ex antecedentibus; & ipsa eiusdem globi inspectio-

neintuituq; vel vnico, quàm verborum multitudine declarari possunt.

De Tabula seu Mappa Geographica.

Hactenus de globo picto in Rotundo; sequitur eiusdem repræsentatio in Plano quæ dicitur Tabula seu Mappa, seu charta Geographica. Atq; hæc est vel vniuersalis vel Particularis. *Vniuersalis* est totius Globi terreni in plano, per lineas & Circulos cum globo ferme eosdem, explicatio delineatioq;. *Particularis mappa*, est certæ terræ partis Seu Regionis, secundum eius diuisionem tam naturalem, quam artificialem repræsentatio.

PARTICVLA IJ.

De Interiori Geographiæ consideratione.

ABsolutâ Exteriori Geographiâ accedimus ad interiorem eius explicationem quæ in VI mundi partibus, siue Continentibus magnis consistit, Quæ sunt Europa, Africa, Asia, America, Terra Arctica, & Terra Antarctica.

Hanc Geographiam interiorem & cõsequenter in ea sex hasce enumeratas partes in quibus consistit contemplabimur *Vel in proœmio ac velut compendio* explicando considerandoq; totius globi terreni partes integrantes Terram nimirum & Aquã; eiusq; vtriusq; subdiuisionem variam tam Naturalem quam Artificialem, quasi totum contentum. *Vel in Tractatione ipsa*, explicando

 sum-

summarie has ipsas 6 mundi partes, Et alias deinde harum Minores, quasi rem ipsam continentem.

De Globi terreni partibus integrantibus Terra & Aqua; partiumq; istarũ subdiuisione.

Terrenus globus, vt etiam parte primâ statim ab initio insinuauimus, constat duobus elementis inter se iunctis *Terrâ* nimirum *&* *Aquâ*; ita, vt non immerito hæc duo sint partes eius integrantes. *Vtræq;* autem hæ partes subdiuiduntur vel Naturaliter vel artificialiter, *Naturaliter* iuxta terminos naturales tam ad terram, quam ad Aquam spectantes. *Artificialiter* iuxta terminos siue partes visibiles terræ & Aquæ artificiales quas hominum ars, industria, & voluntas inuenit ac determinauit.

Na-

Termini seu partes naturales ad terram spectantes, (quæ dicta, videtur à terendo, eo quod superiora eius nostris pedibus terantur) *Sunt* Continens, Insula, Peninsula, Isthmus, Promontorium, tum montes, syluæ & alij. *Continens* longo tractu cohæret nullis aquis disiuncta. *Insula* contra vndiq; aquis cingitur, & à continente disiungitur. *Peninsula* seu Chersonesus maiori ex parte aquis cingitur. *Isthmus* est terra angusta inter duo maria, quâ peninsula annectitur continenti. *Promontorium* est pars montis conspicuâ altitudine in mare prominens: vsitate dicitur caput; v. g. caput bonæ spei; caput viride. *Mons* est terra eminens in altum intumescens: seu est tumor terræ altissimus. *Silua* est pars terræ plerũq; montosæ, arboribus sponte nascentibus referta. Atq; hi sunt termini naturales ad terram spectantes.

Artificiales sunt 15. hoc ordine Regio, Regnum, Territorium, Prouincia, Ager, Ciuitas, Vrbs, Opidum, Castellum, Arx, Emporium, Vicus, Pagus, villa, Tugurium.

Partes seu Termini naturales ad aquam (quæ dicitur quasi æqua quod superficies eius æqualis sit) *spectantes sunt præcipui* Mare, flumina, fontes, lacus. Terminus *artificialis* est portus.

De Mari.

Mare nihil est aliud quam collectio salsarum & reciprocantium aquarum generalis, dicta ab amaritudine. Hoc aliud vocamus Mediterranem Aliud Oceanum.

De Oceano

Oceanus proprie vniuersa illa Marinarum aquarum moles, quæ extimas principum terræ partium oras amplectitur. Huius occurrit distinctio & Partes. *Distinctio varia*

tia est iuxta diuersas denominationes Primo à IV. mundi plagis seu cardinibus: quando dicitur Orientalis siue Eous, Occidentalis, Meridionalis siue Australis, Septentrionalis siue borealis. *Secundo* à qualitatibus suis seu proprietatibus quibusdam, vti Ad meridiem circa Africam, quando dicitur asperum ob syrtes & breuia; Item rubrum à colore vel arenis: Ad occidentem pacificum & tranquillum. Ad septentrionem mare concretum, cõgelatum, pigrum, ac prope immotum; item mortuum ob perpetuam caliginem: *Tertio* ab ijs quas in vtroq; orbe veteri & nouo alluit, lambitq; regionibus: vti Ad Orientem Oceanus Sericus à Serica regione quæ nunc est Cataria, Sinensis, Hippadis pelagus vulgo Archipelagus S. Lazari, ob Multitudinem insularum in eo, ad comparationẽ

Archipelagi Europæi, siue maris Ægæi Ad meridiem Oceanus Indicus, Persicus, Arabicus, Æthiopicus: Ad occidentem Atlanticus; inde à nigro fluuis Hispanicus, Cantabricus, Aquitanicus, Britannicus, Caledonius, Germanicus, Cimbricus: deniq; Mare *del Nort.* & mare *del Zur* sunt nomina noua oceani circa orbem nouum. Ad septentrionem dicitur Hyperboreus, sarmaticus, scythicus, Tartaricus. *Partes Oceani sunt, freta & Sinus.*

Freta sunt augustiæ Oceani arctati à terra, eoq; æstu maiore feruentis. Huiusmodi præcipua censentur *Gaditanum* siue Herculeum [quod vsitate dicitur streto di gibraltar] Fretum *Sunticum*, Fretum *Ioannis Dauis*, Fretum *Naßouium*, *siue Waygaz*. Fretum *Anian*; Fretum *Magellanicum* Fretum *Maire*.

Sinus dicuntur vbi oceanus in certam

itam terrę partem se longe lateq; immittit. *Huiusmodi* sunt præcipui præter mare Mediterraneum, de quo mox. Sinus Cimbricus seu Codanus quem vsitate Balticum Mare, & Germanice *Die oost see* vocant (quod æstum marinum nescit) versus septentrionem in duo brachia, ceu sinus minores dispescitur. Boddicum & Finnicum Sinus *Granduicus* seu Mare Album à colore ad mare Septentrionale, Sinus *Mexicanus*, & *Vermilius* vterq; in hemisphærio Americano. Sinus *Persicus*, *Arabicus Sinus*, vterq; in mari Indico. His annumerabatur à veteribus *Caspius seu hircanus*; cui nomina à binis populis Accolis quæsita sunt, sed hodie est lacus omnium maximus in Asia, qui vulgato nomine etiam nunc mare dicitur Caspiū atq; Hircanum.

De Mari Mediterraneo.

Mare mediterraneum seu internum ab occasu inter columnas Herculis ex oceano Atlantico irrumpens per medias terras versus ortum & septentrionem diffunditur, & Africam ab Europa disterminat: *seu* quod vtrinq; plurimas prouincias alluit, & ab ijs varia sortitur nomina; quin etiam alia Maria minora, sinus, & Freta efficit. *Maria* quidem Propontidem, Pontum Euxinum, & mæotim paludem. *Sinus verò* Adriaticum, olim Mare superum; nunc Golfo di Venetia. Sinum seu mare Ionium, Corinthiacum, Argolicum, (*Golfo di napoli*) & alios multos. *Freta deniq; efficit* Fretum siculum, Hetruscum, Caledonium, Euripi, Hellesponticum, Thracium, Cimmerium, Cilicium fretum. *Hæc & alia* vt Flumina seu fluuios, Fontes, Lacus, Portus, qualia sint in mundo præcipua videbimus suis locis. De

De sex Mundi partibus.

His itaq; absolutis proœmij loco, iam De sex mundi partibus tractaturi cum Bono Deo Melioris doctrinæ gratia Has diuidemus in veteres &Nouas. *Veteres sunt*, quæ vsitate dicuntur vetus orbis: nimirum Europa, quæ est minor; Africa, quæ maior; Asia, quæ maxima. *Nouæ sunt* quæ dicuntur Nouus orbis Atq; hæ sunt vel Extremæ vel media. *Media* est America *Extremæ* Arctica & Antarctica seu Terra Borealis & Australis.

De Europa,

Europa quæ non immerito virgini raptæ ob pulchritudinem comparatur. *est* pars Orbis veteris minima hodie cultissima, celebratissimaq; *cis Tropicum* Caneri, intraq; Circulum Arcticum comprehensa. *quæ Terminos habet* Respectu orientis, qua Asiæ coniungitur, Mare Ægæum, Hellespontum, Propontidem,

Bosphorũ Thraciũ, Pontũ Euxinũ, Bosphorum Cimmerium, Lacum Mæotin, & tandem Tanain flumen ad Tuiam vsq; opidum; inde recta linea ducatur ad ripam Obij fluminis, à quo eatur ad Oceanum vsq;. Respectu Meridiei, quà respicit Africam, habet Mare Mediterraneum, Fretum Herculeum seu Gaditanum. Ab occidente, quà respicit Americam, habet Mare Atlanticum, siue occidentale. A Septentrione, quà respicit terram Borealem, mare Hyperboreum, siue Septentrionale.

Consideratur Europa his Terminis conclusa, *vel* in Partibus suis Naturalibus; *vel* Artificialibus seu fortuitis. *Naturales eius partes* sunt, *Terra*, cuius nomine veniunt præcipuè Montes & Siluæ; *Et Aqua*, cuius nomine veniunt Mare, (quod in Europa est Triplex, Oceanus, Mare

Medi-

Mediterraneum, Mare Balticum) Flumina, Fontes, Lacus: quæ omnia in ſequenti peculiari diuiſione præcipua adferentur commodius, vt poſte ſuo loco.

Artificiales ſeu Fortuitæ eius partes, eſt Diuiſio eius in Regiones Continentes, Inſulas, Peninſulaſq;. *Continentes ſunt* Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, *tam* Superior, quam Inferior. Polonia, & Lituania, & Ruſſia, & Pruſſia, & Liuonia, cum alijs prouincijs ſe ſubiectis. Hungaria, & Tranſſiluania. Illyricum, ſub ſe complectens Sclauoniam cui adhæret Raſcia, Croatiam, Boſniam, Dalmatiam. Græcia, continẽs plures alias prouincias. Thracia ſeu Romania. Dacia, diſtincta in Mæſiam; ſeu Seruiam, & Bulgariam; Deinde Moldauiam, & Walachiam. Tartaria Minor. Moſcouia.

Peninſulæ ſunt Noruegia, Suecia, & Dania. *Inſulæ*

Insulæ sunt In Oceano Anglia, & Scotia, quæ Albion vno nomine; & Hibernia. In Mari Mediterraneo Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, hodie Candia; cum alijs Minoribus prope innumeris.

Alias diuiditur sic Europa in Duo Imperia; Occidentale Romanorum; cuius sedes est Vienna, Austriæ; Et Orientale Græcorum olim, nunc Turcarum: cuius sedes est Constantinopolis, Thraciæ. *Et in plurima Regna ac potentissima*; quorum præcipua sunt, Hispania, Gallia, Polonia, Dania, Noruegia, Suecia, Anglia, Scotia, Hibernia, Bohemia, Hungaria, Slauonia, Croatia, Dalmatia, Bosnia, Seruia, Bulgaria Tartaria minor siue Præcopensis; itẽ Regnũ Neapolitanum, & Sicilia. *Archiducatus* vnus est, Austriæ: *Magni Ducatus Tres*, Moscouia, Lituania, Tuscia, *Ducatus, Principatus, Comitatus*, innumeri.

Reli-

Religio Per Europam alibi Catholica; alibi Hæretica, & Apoſtatica. Catholicæ Eccleſiæ caput eſt Romæ, ſucceſſor B. Petri SS. Dominus noſter Clemens X. cum eo ſunt Hiſpania, Gallia, Italia, Polonia, ſimiliter Germania pleraq; : Prouinciæ in Belgio Regi Hiſpaniarum ſubiectæ, omnes ſunt Catholicæ: quæ vero ordinibus fæderatis parent, omnigenam religionem ſectantur & patiuntur. In Heluetia pagi quidam ſunt Catholici, quidam Caluiniſtici. Anglia, Scotia, Hibernia, plerumq; Caluiniſticæ; Dania, Suecia, Noruigia, Lutheranæ ſunt, ſed & ſerpit virus Caluiniſticum. In Turcia ſunt Mahumetani, & Græci Schiſmatici; quidam tamen etiam Catholici. In Ruſſia, Græci, Armenij, & Pagani.

Linguæ præcipuæ ſunt Tres. Romana vnde Romaniſmus apud Italos, Gallos,

los, Hiſpanos. *Germana*, vnde Teutoniſmus; apud Heluetios, Germanos, Belgas, Anglos, Danos, Noruegos, & Suecos. *Slauonica*, vnde Slauoniſmus; in Slauonia, Polonia, Bohemia, Hungaria: relictis tamen vnicuiq; regioni in ſua lingua diuerſis dialectis.

De Hiſpania.

Hiſpania eſt prima terræ Continentis in Europa pars occidentalior, altrix ſemper Martiarum gentium regio, omni materiâ affluens, quæcunq; aut pretio ambitioſa eſt, aut vſu neceſſaria; quanquam tamẽ hac noſtrâ ætate vbertas eius præ alijs terris, prædicari nequeat. *hæc Sita* ſub medio quarti, quinti, & Sexti climatis. *ab Oriente, habet* montes Pyrenæos: à Septentrione, Mare Cantabricum: ab Occaſu Atlanticum: à Meridie, Mediterraneum.

Diuiſa fuit olim Hiſpania Romanorum

tem-

tempore per fluuium Iberum in Citeriorem, & Vlteriorem: *Postea* in tres Prouincias, Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconensem. *Tandem* plurima regna & Prouinciæ in ea constitutæ, quarum nomina hodiè reperiuntur sequentia, quæ nos prosequemur.

Catalonia in qua vrbes, Barcino, Dertosa, Tarraco, Emporiæ, *Arragonia.* in qua, Cæsar-augusta (Saragossa) primaria: reliquæ celebriores Ilerida, Vrgella, Osca, (Huesca) *Nauarra* Regnum, in quo Pampelona. *Cantabria* quæ diuiditur in Guipuscoam, & Biscaiam. Illius Vrbs primaria Tolosa: Huius Bilbao. Inter has duas Regiones & Castiliam Veterem, iacet *Alaua* regiuncula; cuius metropolis est, Victoria. *Asturia & Legio* In illa Astorga; quam sequitur Ouiedo. Hæc Vrbem habet eiusdem nominis. *Gallæcia siue Gallicia.* in qua Compostella, vbi Corpus D. Iacobi

cobi Apoſtoli religiosè colitur; à quo ipſa vrbs hodie ſunt *Iago* appellatur. *Portugallia.* in qua Oliſippo *Lisbone* Metropolis ad Tagum flumen, Conimbrica, Ebora. *Algarbia.* in qua Siluis, & Tauila *Andaduſia* in qua eminet Hiſpalis (*ſeuille,*) Nebriſſa, Corduba, & Iaen. In ipſa eſt regiuncula dicta Comitatus *El Condano.* *Granada,* Cuius vrbs primaria à Sarracenis condita idem nomen habet. *Murcia,* in qua Murcia, Carthago noua (cartagena,) cuius portus præſtantiſſimus totius Maris Mediterranei. *Valentia,* in qua Metropolis eiuſdem cognominis. Hactenus Circuiuimus totam Hiſpaniam & ad Cataloniam vnde digreſſi fueramus reuerſi ſumus; Nunc magis interio- Hiſpaniæ inuiſenda, nempe. *Caſtilia ſiue Caſtella Vetus;* in qua Metropolis Burgos: Dein: Salmantica, Valdoledum, Segouia, & Numantia.

Castilia Noua, in qua Toletum, & Madritum. quinta à Madrito Leucâ versus occidentem, est Magnificentissimum illud Monasterium S. Laurentij in Escuriali, opus Philippi II. Regis. *Estremadura*; in qua Pax Iulia (*Badaios*,) Merida, & aliæ.

Omnes hæ prouinciæ successu temporis reductæ ad tria Dominia siue Coronas, Castiliæ, Aragoniæ & Portugalliæ. *Castilia Corona* sub se comprehendit vtramq; Castiliam, Nauarram, Cantabriam, Asturiam, Legionem, Galliciam, Estremaduram, Andaluriam. *Portugallia corona* Portugalliam ipsam, & Algarbiam. *Arragonia*, ipsam Arragoniam, Cataloniam, & Valentiam. Tribus his Coronis multæ Exteræ Regiones adnumeratæ sunt, nempe *Castilia Regno*, Mediolanum, Belgium, Burgundiæ Comitatus, Insulæ Canariæ, America, & insulæ Philippinæ. *Arragonia*.

niæ; Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia. *Portugalliæ Regno*; Guinea, Æthiopia, India Orientalis, Brasilia, Insulæ Molucæ.

De cætero in ipsis Hispanijs Duces numerantur XXIV. At id maximè mireris, reperiri hic quod haud facile alias toto orbe terrarum: scilicet Ducem in Portugallia cui tertia pars Regni pareat, inquit Cluuerius. Porro Archiepiscopatus in vniuersa Hispania sunt XII. Episcopatus LV.

Academiæ illustriores sunt Salmantica, & Complutum, in Regno Castellæ; Conimbrica, in Portugalliæ Regno.

Montes Regionis præcipui sunt Præter *Pyrenæos* qui eam separant à Gallia, & pro locorum ratione varia sortiuntur nomina Est Mons *Calpe* ad fauces freti Gaditani, cui in Africa *Abyle* mons respondet, quos montes dixerunt antiqui Columnas esse-

esse Herculis, à quo & Fretum ipsum perfossum esse crediderunt. *Promontoria* sunt diuersa, quæ breuitatis gratia omitto. *Silua cædua* complures sunt; vnde materia struendis nauibus.

Mare quod alluit Hispaniam, constat ex eius Terminis. *Sinus* verò, *Portus*, alios quia longum esset recensere, prætereo. *Lacus sunt* Prope opidum Beiaram non minus vtilis quam admirabilis, qui & Turtures pisces subnigros & excellẽtes gignit; & futuram pluuiam turbinemq; magno aëris sonitu prænunciat, adeò vt eius murmur, quasi tauri mugitus, sæpè ad XIX. millia passuum fuerit auditum. 2. In summo *Montiu stella* cacumine Lacus quidam est, in quo fragmenta Nauium sæpius reperiuntur, quum tamen à mari plus XII. leucis absit; quin quoties intumescit mare, exæstuat idem, & tempestates ibi audiantur, teste Vasæo.

Flumina quibus irrigatur Multis passim Hispania, adeò vt sint, qui 150. numerant; & in ijs pontes vltra 70, inter quos Segouiæ & Alcãtaræ; alij, alijs sunt nobiliores, flumina inquam præcipua sunt, Iberus (Hebro,) Durias (Guadaluiar,) *quæ* in mare Ibericum exonerantur; Bætis (Guadalquiuir) Anàs (Guadiana hodiè) qui medio cursu mergitur, ac post X leucas iterũ erumpit, Tagus (Taio,) Durius (Duero) Minius, (mingo): *quæ* in Oceanum influunt.

Insulæ vicinæ Hispanijs sunt. In Oceano quidem Gades. In Mediterraneo vero Gymnesiæ, siue Baleares, *Maiorica & Minorica* vel Pytuisæ Yuica, & Formentara.

De Gallia.

Gallia Hispania proxima, sic dicta à Gallis incolis aperitur. Terra felix, præpinguis glebis; & commoda prouen-

uentib⁹ fructuarijs; consita vitib⁹ & oleis quibusdã in locis; irrigua, & fluminum, & fontium aquis; & noxio genere animalium minimè frequẽs; frumento verò fertilis. Hæc olim ante Romanorum Imperium amplior quam nunc, Pyrenæis, Oceano Rheno, Alpibus, & Mari Mediterraneo, claudebatur: nec his contenti finibus Gallorum nonnulli Alpes transgressi, Italiæ ferè dimidium occuparunt Anconam vsq;, eiq; Galliæ nomen imposuerunt; (Ex his quidem vltra profecti in Asiam vsq; peruenerunt, nomenq; ibi Galatiæ fecerunt: Alij in Britãniam insulam peruenisse putantur: In Germaniã autem alij inuecti, ingentem tractũ, à Rheno ad Istulæ vsq; fontes, obsederunt). At hodiè Gallia arctior quã olim multis ab ea abrasis, à Meridie, Occasu, & Septentrione seruatis antiquis terminis, qui per se ex mappis

pis cognosci possunt; ab Occasu clauditur *Sabaudiâ*, quam obtinet Dux cui cognomentū Sabaudici dedit ipsa Regio, *Burgundiæ Comitatu* qui pertinet ad Regem Hispaniæ. *Lotharingiâ*, quæ nunc Ducatus, olim Regnum.

His terminis conclusa Gallia, Diuiditur in varias Prouincias, quarum præcipuæ enumerantur hic à nobis cum enumeratione præcipuarum eius vrbium. Itaq; vrbes Galliæ celeberrimæ sunt *In* Parisijs, siue Insula Frāciæ, Lutetia Parisiorum, vulgo *Paris*, caput ac Regia Regni clarissima totius Europæ. *In* Picardis, Ambianum. *In* Normannis, Rotomagus, Cadomum, Diepa. *In* Britannis *Rennes*, & *Nantes*. *In* Andegauis, Andegauum. *In* Turonibus, Turonum. *In* Blesensi Prouincia; Blesense castrum. *In* Beltia *Chartres*, & item Aurelianum, vulgo *Orleans*. *In* Bituri-

turigibus *Bourges*. *In* Campania, Remi, Catalauni, Tricassium *In* Burgundia, Diuionum, Cabilonum, Mātiscona, Belna, Augustodunum antiquitatibus Romanis referta *In* Borbonensi prouincia, *Moulins*. *In* Lemouicibus, Lemouicum, vulgo *Limoges*. *In* Pictonibus, Pictauium. *In* Santonibus Saintes, Rupellæ, vulgo *la Rochelle*. *In* Vasconibus, Burdegala vulgo *Bordeaux* opulentissimū Emporium. *In* Linguadocia, est Tolosa, Martius, Narbo, Mons Pessulanus, vulgo Montpellier, Nemausus, vulgo Nismes] *In* Prouincia Massilia, *Marseille* portûs commoditate clara, liberaq; est ciuitas; item Auenio *Auignon* Romanæ Eclesiæ Parens.

Archiepiscopatus sunt per vniuersam Franciam XV. quibus subiecti Episcopatus CII. Academiæ Galliæ Illustres sunt Lutetiæ Parisiorum, Cadomi, Andegauis, Aureliani, Pi-

ctauij, Tolosæ, Montispessulani.

Mõtes Regionu præcipui sunt Gebenna, vogesus, & Iura, *Siluæ* non sunt spatiosæ sed frequentes & paruæ; maxima silua est Arduenna.

Fluuij Galliæ celebriores sunt Sequana, Ligeris, Garumna, Rhodanus. *Lacuum princeps* est Lemanus ad Genuam. 2. In Aruenia, in monte non procul à Besso opido, qui dicitur fũdo carere à profunditate; nulla in eum apparet influere aqua; si quis quid in eum proijciat, tonitrua dicitur mox auditurus, fulgetra visurus, pluuiam, & grandinem, habiturus. Haud procul inde crypta est, cuius os rotundum; & abyssus sine fundo; vbi aures admouenti, ingens murmur & strepitus oboritur, tonitrui remotiori vel aduenienti non absonus: nec æstiuis mensibus idem strepitus esse desinit; vt quem vẽnti in cauitatib⁹ inter se belligerãtes faciũt

De Ita-

De Italia.

Italiam ingredior. Regionem Dijs Sacram, Plinio totius Europæ beatissimam, optimamq; omnium prope Terrarum alumnam, rerum Dominam, Principem gentium, Mundi Reginam: in qua si locorum salubritatē, cæli temperiem, aprica collium, opaca nemorum, tantam frugum & vitium, olearumq; fertilitatem; pecorum fecunditatem, tam innoxios saltus, tot munifica siluarum genera, colonias tam frequentes, tam assiduā nouarū vrbiū gratiā, tā clarum decus veterum opidorum, virorum deniq; ingenia, mores, ac ritus, linguáq; ac manu res gestas si repures; nihil toto orbe terrarum cōmemores quod huic cōferri, ne dum præferri queat. *Terminos habet* à Septentrione Alpes; ab ortu, Arsiam Histriæ flumē & mare Superum: à Meridie, mare

Inferum siue Tuscum; ab occasu iterum Alpes, & Varum amnem.

Montes Celebriores Italiæ præter *Alpes* quibus separatur à Gallia & Germania, est *Apenninus* medio eius dorso incumbens, occupansq; quartam fere Italiæ partem. est & *Massicus*, *Garganus* Apuliæ, in mare Superum ingenti promontorio excurrens: *Vesuuius* Campaniæ, ignium eruptione, & Plinij interitu clarus.

Diuisionem Italiæ quod attinet. hanc varij variè diuidunt; at commodissimè diuidi potest, quemadmodum & aliæ Regiones Secundum Prouinciarum situm: Aut secundum Dominia.

Secundum Prouinciarum situm Italia potest Diuidi in Veterem, & Nouam. Golnitz *L. 2. Comp. Geogr. C. 5.*

Noua olim dicebatur Gallia Cisalpina, cuius prouinciæ *Aliæ* sunt Cis Padum *Aliæ* Trans Padum fluuium.

Cis

Cis Padum sunt 1. Flaminia, vulgo Romania & Romaniola 2. Æmilia, quæ Longobardia Cisalpina dicitur; & tribus Ducatibus claret Parmensi, Mutinensi, & Montisferratensi 3. Liguria, modo dicta Riuiera di Genoua. 4. Pedemontium. *Trans* Padum 1. est Longobardia, vulgo Ducatus Mediolanensis. 2. Duc. Mantuæ 3. Comitatus Venetorum. 4. Marca Treuisiana: vbi Venetiæ, Patauium, Taruisium, Verona, 5. Forum Iulij, vulgo Friuli.
Italia *Vetus* sequitur, cuius Prouinciæ sunt 1. Hetruria siue Toscana. 2. Latium, *hodiè* Campagna di Roma; cuius caput vrbs Roma omnium illustrissima atq; celeberrima. 3. Vmbria, hodie Ducato di spoleto. 4. Marca Anconitana, olim Picenum. 5. Regnum Neapolitanum: quod suas rursus diuiditur in Prouincias, quæ sitæ sunt ad mare Inferum & Su-

perum. Ad Mare *Inferum* sunt 1. Cãpania felix, *nunc* Terra di Lauoro. 2. Lucania, hodie Basilicata, 3, Calabria, quæ vel Inferior vel superior. Ad mare *Superum* sunt. 1. Aprutium, hodie *Abruzzo*. 2. Apulia quæ Duplex Altera Apulia Daunia (*Puglia Piana*) à latissimis campis. Altera Apulia Peucecia, hodie Terra di Bari 3. Hydruntina regio, *olim* Salentinorum, *hodie* Terra di Otranto.

Secundum Dominia sequens obseruari potest Italiæ diuisio. In Italia 1. Dominiũ est Summi Põtificis Romani, sub quo Ager Romanus, Patrimonium D. Petri, Ducatus spoletanus, Marchia Anconitana, Romaniola, vrbs in agro Neapolitano Beneuentum &c. 2. Dominium est Hispaniarum Regis, sub quo, Regnum Neapolitanum, Ducatus Mediolanensis, ac quædam oppida in Tusciæ littore, cum Insulis Sicilia & Sardinia. 3. Ducũ

diuer-

diuersorũ. Rerumpublicarum, nempe Venetæ & Genuensis &c. Et vnius Comitatûs, Mirãdulani scilicet.

De cætero Archiepiscopatus in vniuersa Italia sunt XXX. quorum in Neapolitano Regno XXI. Episcopatus innumeri pænè, sed admodum tenues. Academiæ Illustres sunt Patauij, Bononiæ, Pisis, Senis, Perusiæ, Romæ. at minus celebres Augustæ Taurianorum, Ferrariæ, Firmi, Neapoli, Salerni, Maceratæ. Vrbium clarissimarum Epitheta sunt nouem. *Roma la santa*, Roma Sancta. *Napoli la gentile*, Neapolis Nobilis. *Venetia la Ricca*, Venetiæ opulentæ. *Genoua la superba*; Genua superba. *Milano la grande*, Mediolanum Magnũ. *Fiorenza la bella*, Florentia pulchra. *Bologna la graßa*, Bononia pinguis. *Rauenna l' antica*. Rauenna antiqua. *Padoua l' dotta*, Patauium doctum.

Fluuij Nobilißimi Italiæ sunt Padus,

qui & Eridanus *le Po*, Athesis,(*Adese*) Arnus, Tiberis, Ligeris, Vulturnus, Silurus, Sibaris: inde peregrinantibus ad mare superum occurrunt Aufidus, (*l' ouanto*) Horatij versibus & clade Romanorum aduersus Astrubalem clarus; postea Aternus, Metaurus, cuius in ripa Astrubal Annibalis frater cæsus fuit. *Lacus* sunt plurimi inter quos Verbanus, Ceresius, Larius, Sebinus, Benacus, Trasimenus, Bulsinus;

Insulæ Circa Italiam sunt Corsica Genuensium, Sardinia & Sicilia Regis Hispaniarum: Minores studio omitto.

De Germania.

Germania transgressis Alpes occurrit. Quæ est vel Superior. Vel Inferior.

Inferior Germania.

Inferioris Germaniæ, quam Belgicã hodie appellant; & vernaculo vocabulo *Niederlandt*; Itali vero, Hispa-

ni,

ni, & Galli, *Flandriam* ab vna earũ quondam clarissima Prouincia. Regio est agrorum cultu, vrbium vicorumq; multitudine ac nitore amænissima; varijsq; negotiationibus & nauigationibus longinquis ditissima *Termini sunt* a Septentrionibus, Oceanus Germanicus: ab Ortu, Frisia orientali, Westfalia, Coloniensis ager, Iuliacensis Ducatus, Treuirensis Episcopatus: à Meridie, & occasu; Galliæ Regnum.

Fluuij eius præcipui & nauigabiles Rhenus, Mosa, & Scaldis

Diuiditur in XVII prouincias: nimirum in *IV Ducatus* qui sunt Brabantia, Limburgum, Lucenburgum, & Geldria. *VII Comitatus*: Flandria, Arthesia, Hannonia, Hollandia, Zeelandia, Namurcum, & Zutphania *V. Dominia*: Frisia, Mechlinia, Traiectus, Transisalania, Groningium. *Et I. Imperij* Marchionatum, qui est An-

tuerpia. Dictarum prouinciarum Hispaniæ Regi subsunt Brabantia, Limburgum, Luceburgum, ac dimidia pars Geldriæ, Flandria, Artesia, Hannonia, Namurcum, Marchionatus S. Imperij, & Mechlinia. reliquæ fæderatæ, sub vna Rep: libertatem tuentur. Vrbes in illis numerantur 208 mænibus cinctæ: ex quibus maximè celebres, opulentæ, & potentes sunt, Louanium, Bruxella, Antuerpia, Amstelodamum, Lugdunum Batauorum, Traiectum, & aliæ. Opida numerãtur 150. Pagi. 6300 & vltra; præter ignobiliores vicos. *Academiæ sunt*, Hispanicæ ditionis Louanium, ac Duacum: Confæderatarũ vero prouinciarum Lugdunum Batauorum, Franikera, ac nuper erecta Groninga. Episcopatus plurimi sunt recenter instituti.

Superior Germania.

Superioris Germaniæ quam veteres

terris

terris informem, montibus asperam, cultu aspectuq; tristem, in vniuersum syluis horridam prodiderunt; nunc terrarum cultu, vrbium splendore, ædificiorumq; magnitudine conspicua, in tantum res mutantur *Termini* sunt, ab Occidente, Belgium; à Septentrione, Oceanus Germanicus; ab Oriente, Prussia, Polonia, Hungaria, & Sclauoniæ pars; à Meridie Alpes & Italia.

Huius Imperij prouinciæ sunt partim in Gallico solo sitæ *citra* Rhenum; partim *vltra* Rhenum in Germania: de quibus vide celeberrimos Geographos, Cluuerium, Atlantem maiorem, & alios.

Caput Imperij est Imperator LEOPOLDVS NVNC I. SEMPER AVGVSTVS, PIVS ET SAPIENS: & tria sub se habet Membra.

Primum membrum sunt Electores olim VII. nunc VIII. quibus solis cõpetit

petit Imperatoris Electio. Ecclesiastici quidem sunt ijdemq; Archiepiscopi Moguntinus, Coloniensis, Treverensis. Saeculares reliqui Rex Bohemiae, Dux Bauariae, Saxo, Brandeburgicus, Comes Palatinus; *Secundum membrum* sunt Principes Ecclesiastici & saeculares. *Tertium* ciuitates liberae: horum membrorum comitijs consulitur & concluditur de omnibus Imperij negotijs.

Praeter hāc triū mēbrorū ordinationē sūt Circuli seu Ditiones Imperij Decē, in quos totum diuisum est Imperium 1. Franconiae, 2 Bauariae, 3. Austriae, 4. Sueuiae, 5. Rheni siue Alsatiae, 6. est IV. Electorum Rheni. 7. Westphaliae. 8 Saxoniae superioris. 9. Saxoniae inferioris. 10. Burgundiae. In his circulis habes expressas Prouincias Imperij Germaniae *Porro extra istos Circulos* recensentur regiones Bohemia, & Heluetia. 1. *Bohemiae Regni,*

quod

quod montibus Syluisq; vndiq; cinctum est, vrbium clarissima est Praga, caput Regni, ex tribus quasi vrbibus constans. Sub Bohemiæ Regno censentur Morauia, Silesia, & Lusatia, *Morauia* titulum Marchionatûs habet; cuius Metropolis Olmuntium: *Silesia*, ampla ac diues Regio, sub Ducatûs titulo, XVI. Principatus in se complectitur: Vrbium Princeps est Vratislauia. *Lusatia* diuiditur in Superiorem & Inferiorem: Metropolis eius Gorlizia.
2 *Heluetia* quæ & Suûizia dicitur, diuisa est in XIII pagos, quæ Cantons vocant. His adijciuntur duæ confines prouinciæ *Rhætia* & *Vallesia* quæ vtræq; sunt liberæ & Heluetijs confæderatæ.

Archiepiscopatus in Germania sũt 7. Moguntinus, Coloniensis, Treuerensis, Magdeburgensis, Bremensis, Salisburgensis, & Pragensis. His subsunt

ſunt circiter 36 Epiſcopatus. Academiæ illuſtres ſunt Viennæ, Pragæ, Ingolſtadij, Herbipolis, Moguntini, Baſileæ, Fribugij, Argentorati, Marpurgi, Coloniæ, Erfordiæ, Lipſiæ, Trancofurti ad Oderam, Roſtochij &c.

Montium in Germania nobiliſſimũ iugum Hercinium, Bohemiam cingens, qui & Suditi montes; Dein Abnoba, Taunus, Rhætico, Meliobocus. *Syluarum* Romanis monumentis celebratæ ſunt Hercinia, Bacenis, Gabreta, Luna, Martiana, Cæſia, Veſalia. *Celebriores Fluuij* ijdemq; Nauigiorum capaces Oceanum petentes Rhenus, Hinc Amiſius, Viſurgis, Inde Albis. In ſinum Codanum ſe effundunt Chaluſus ſiue Traua, Viadrus At Danubius omnium Europæ maximus in Hercinia ortus decurrensq; per Sueuiam, & Alemaniam, itemq; per Bauariam, Auſtriam, (vbi

eſt

est Vienna) & Hungariam; ac sumpto *Istri* nomine mergitur Ponto Euxino quinq; ostijs: Influunt in ipsum amnes 60 quorum præcipuos vide in Breuiario Orbis terrarum P. Berti pag. 32.

De Polonia.

Polonia nunc adeunda est, à campo *Pole* dicta, antiquis Sarmatia Europæa. Regnum cum optimis quibusq; Europæis, potentiâ, magnitudine, fertilitate, incolarum virtute, scientiarum gloriâ, religione, Senatorum frequentiâ conferendum. *Terminatur* cum suis Prouincijs cingiturq;, A Septentrione Mari Sueuico siue Baltico, & Venedico sinu: Ab Occasu, Pomeraniâ, Silesia, Morauiâ: A Meridie Hungariâ, Valachiâ; Tyrâ fluuio præcipuo siue Nestre, interluente: Ab oriente Tartariæ, & Moscouiæ finibus; Boristhene præcipuo fluuio, qui & Nieper appellatur,

tur, interluente. *Præter fluuios dictos sunt alij*, quibus irrigatur passim multis: inter quos Istula nauigabilis, Solam, Premsam, Scauam, Rabam, Donaiecium, Vislocam Ropa auctam, Nidam, Sanum, Vieprum, Pilciam, receptis Dreuicia & Volboria; Bsuram, Naruam, cum Bugo, Dreuanciam, Berdam, Ossam, & Motlauia, minora flumina excipit.

Prouincias Poloniæ Regnum cōtinet amplissimas, moribus legibus, linguâ ex parte differentes; viuendi vero genio, libertatis prærogatiuâ, capessendorumq; in Rep. honorum aptitudine omnes ex æquo pares, & iuribus necessitudinum inter se inuicem adstrictas. hoc est Poloniam vtramq;, Lituaniam, Russiam, Prussiam, & Pomeraniam, Masouiam, Samogitiam, & Liuoniam.

Polonia propriè dicta Diuiditur in Maiorem & Minorem *Maior* versus

occasum

occaſum eſt Germaniæ contermina, tota fere plana & fluuijs irrigua, quorum mediam eam Varta fluuius interſecat; niſi quod Cuiauiæ nonnulla pars Cliuoſa eſt collibuſq; molliter, & ad fertilitatem commodè diſtincta. Tota autem hæc in 8. Satrapias ſeu Palatinatus ſubdiuiditur. In Palatinatum videlicet Poſnanienſem, (cui & wſchouienſe Territorium adiungitur,) Caliſſienſem, Lencicienſem, Breſtenſem, Iunouladiſlauienſem (& hæ Duæ ſatrapiæ vulgo Cuiauia dicuntur,) Siradienſem, Rauenſem, & Terram Vielunenſem.

Minor Polonia contermina Morauiæ, Hungariæ, ac Ruſſiæ, quò propius accedit ad fines Hungariæ, eò magis montoſa eſt & Syluestris. Mõtes Carpati ad fines dictos, & inibi *Tatry* in Comitatu Scepuſienſi, nubes altitudine ſuâ ferè tranſcenden-

tes, perpetuâq; niue albicântes supereminent; qui etiam asperitate, & præcipitijs suis Alpes Italicas, Helueticas, & Tyrolenses, vix non superantes, imperuij sunt, & nonnisi à naturę admiratoribus rarissimè petendi. Et in meditullio eiusdē Minoris Poloniæ Caluus Mons *Łysa gora*, in quo Monasterium Benedictinorum, S. Crucis nomine Lignoq; , in quo Saluator noster pependit celebre, cōspicitur: de cætero tota regio potius collibus quam montibus referta est, qui culti & melioris glebæ sunt.

Diuiditur in Palatinatū Cracouiēsem, Sendomiriensē, & Lublinensē.

Cracouiensis Palatinatus præter suos *IV Districtus* Cracouiensem videlicet, (qui *Duo Territoria* complectitur Xiazense, & Prossouiense) Lelouiensem, Biecensem, & Sandecensem, in quos diuiditur; *etiam tres Ducatus* in se continet; Osuecimensem.

sem, Zatoriensem, (qui nunc præfecturæ Regiæ sunt) & Seuerienfem, qui est in ditione Illustrissimi Episcopi Craconiensis; hi autem omnes partes sunt Silesiæ: *Et vnum Comitatum* Scepusiensem, qui est pars Hungariæ XIII. opida in se Continens; Inter quæ Luboulia, Podolinecia &c.

Princeps vrbium Regniq; totius metropolis Cracouia, ad Istulam fluuium: habet adiunctam sibi Casimiriam Vrbem, & Clepardiam præter alia longe lateq; patentia suburbia; Arcem verò in Rupe eminenti sibi contiguam. Reliquæ vero Ciuitates & Opida, præter capita Districtuum, & Ducatuum suorum, quæ per se patent ex cognominibus ipsis eorundem Ducatuum & Districtuum, sunt; Czéstochouia, vbi Monasterium in claro monte situ munitumq;, B. Virginis Miraculosa Imagine, à S. Luca Euangelista de-

picta,

picta, ferè toti Christianitati notũ: in proximo Gidiensis FF. Dominicanorum residentia, itidem B. Virginis imaguncula miraculosa percelebris: Mstouia, Prirouia, (vbi S. Annæ templum sub cura FF. Minorum de Obseruantia,) Nouopolia, Pilcia, Ogrodenecia, Slaucouia, (Epõrum Crac: sodinis argenteis clara) Ilcussium Vrbs Regia itidem plũbi atq; argenti fodinis diues, Sucha, Velisca salis metallici fodinis nota per Europam, Bochnia, æmula Veliscæ ijsdẽ fossilibus abundans, Dobcieia, Visnicia, Tucholia, Zmigrodum, Dembouecia, Ducla, Tarnouia, Opatouecia, Cosicia, Miechouia, Andreouia, Scarbimiria, Pinczouia. Omitto *oppida alia*, Villas, Domus nobilium affabrè factas, *Arces* vt sunt Melstinum, Rabstinum, Tẽcinium, Landiscorona, Sorstenũ, Lipouecia, *Monasteria alia* vt sunt

Ti-

Tinecense, Bielanense, Mogilense, Staniontecense, Aluernense, Caluariæ vbi locus ad normam eius qui Hierosolimis est, in qua Christus Dominus operatus est salutē nostrā, omitto inquam hæc & multa alia, quæ vlterius recensere compendium nostrum non permittit.

Sendomiriensis Palatinatus in octo Territoria diuisus. Sendomiriense videlicet, Radomense, Stezicense, Corcinense, Visliciense, Chencinense, Opocinense & Pilsnense, numerat ciuitates & Opida quæ sunt præcipua. Sendomiria, Opatouia, Radomia, Solecia, Ilza, Cunonia, Vōchocia, Bozentinum, Monasterium S. Crucis, Kielcia, Chencinia, Małogostia, Dreuicia, Inoulodia, Sidlouecia, Ianouecia, Slupecia, Lagouia, Racouia, Sydlouia, Corczynum, Pilsna &c.

Lublinensis Palatinus cui adiuncta est

est terra Lucouiensis, habet Lublinum vrbem principaliorem, post quam sequitur Casimiria & reliquæ, Opolia, Curouia, Crasnicia, Leuartouia Vrzendouia, Lenczna.

Lituania Communissimè diuiditur in Tres Satrapias seu Palatinatus; Vilnensem, Trocensem, & Brescianensem.

Russia diuiditur in Russiam Albam & in Russiam Rubram: de Russia Nigra seu Moscouia nihil hic, sed postea de ea *Illa* complectitur in se VII amplissimas Satrapias, Russiæ, Palatinatum imprimis, Deinde Podoliæ, Volhyniæ, Belzę, Braslauiæ, Kiouiæ, & Terram Chelmensem, Haliciensemq;. *Hæc* diuiditur in VI. maximas Satrapias seu Palatinatus: quorum Primus est Nouogrodensis; qui in duos districtus diuiditur, in Nogrodensem & Slonimensem, Reliqui suntMscislauiensis, Vitebscensis, Min-

scen-

ſcenſis, Polocenſis, Tandem Smolenſcēſis, Ducatum Seuerienſem, Terram Czerniechouienſem, (vtraq; autem hæc 70. arces continet) & diſtrictum Orſanenſem in ſe complectens.

Pruſſia duplex eſt Regia & Ducalis. *Hæc* (vnde nomen ei quæſitum) Ducem, Marchionē Brandeburgenſem Regi Poloniæ vectigalem pro Domino agnoſcit. habetq; metropolim, Regium Montem, Pol: Krolewiec. *Illa* directe Regno Poloniæ incorporata ipsū Regē pro Principe veneratur. atq; diſtincta eſt tribus Satrapijs: Culmenſi, Marieburgenſi, & Varmienſi. *Pomerania* hoc loci dicitur illius tractûs, qui inter Oderam & Iſtulam fluuios extenditur ad littus Balticum pars citerior. hæc iiſdem moribus & legibus cum Pruſſia, nec niſi titulo ſolo ab illa differens, & fluuio Iſtula diſiuncta

iuncta

iuncta Gedanum Vrbem *Gdansk* metropolim, maris Baltici emporium celeberrimum, habet.

Masouia in Meditullio quasi Regni Poloniæ sita IV Satrapijs distincta est; Plocensi nimirum Palatinatu, Podlachico, & eo qui peculiariter Masouiæ nomen retinet, in quo Varsauia vrbs totius Prouinciæ princeps, atq; Terra Dobrinensi.

Samogitia regio satis ampla & fertilis contra aliorum sententiam, habet Præfecturas permultas, Ciuitates vero tam Regias quam Nobilium cõplures, licet ligneas.

Liuonia, quæ vltimo accesserat Regno Poloniæ, & nunc à diuersis Principibus hoc est à Mosco, Sueco, Dano, atq; ipso Rege Poloniæ possessa Diuiditur in Tres Prouincias (licet alij plures constituant) linguis vt & locis à se inuicem distinctas, nimi: in Estiam, Letteam, & Curlandiam,

Semi-

Semigalliamq; : Riga Primaria totius Prouinciæ ciuitas est ad Duinã fluuium, qui se in sinum Venedicum exonerat. Hæc breuissimè de Poloniæ Regni Prouincijs paucula nobis sufficiant, qui compendij meminisse debemus. Videatur descriptio Poloniæ Simonis Starouolscij & aliorum.

Amplissimi huius Regni & Prouinciarum ei subiectarum Rex est feliciter modernus Serenissimus MICHAEL I. DD. noster Clementissimus; electus communibus & concordibus Procerum suffragijs tanquam Diuinitus, Varsauiæ, Anno Domini 1669. Die 19 Iunij; Coronatus Cracouiæ Anno eodem Die 29. Septembris. Serenissima ipsa Regina ELEONORA Augustissimi sanguinis Austriaci, Imperatoris Romanorum Soror.

Archiepiscopi sunt Duo Gnesnensis D & Leo-

& Leopoliensis. *Episcopi 15.* Cracouiensis, Cuiauiensis, Vilnensis, Posnaniensis, Plocensis, Varmiensis, Luceoriensis, Præmisliensis, Samogitiæ, Culmensis, Chelmensis, Vendensis, Smolenscensis. *Palatini 34.* Cracouiensis, Posnaniensis, Vilnensis, Sendomiriensis, Calissiensis, Trocensis, Siradiensis, Lenciciensis, Brestẽsis, Kiouiẽsis, Inouladislauiensis, Russiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belzensis, Nouogrodensis, Plocensis, Vitebscensis, Masouiæ, Podlachiæ, Rauensis, Bresciensis, Culmẽsis, Msciflauiensis, Marieburgensis, Braslauiensis, Pomeraniæ, Miscensis, Vendensis, Derpatensis, Parnauiensis. quibus adde Capitaneum Samogitiæ, *Castellani tam* Maiores *quam* Minores numero 87. inter quos Castellanus Cracouiensis, omnes Palatinos antecedit, primumq; locum post

post Episcopos inter consiliarios capit. *Officiales Regni Maiores* qui hos sequuntur sunt *Decem*. Marschalcus Regni Poloniæ, & Marescalcus Curiæ Regni, Mareschalcus Magni Ducatus Lituaniæ, Et Marschalcus Curiæ M. D. Lituaniæ, Cancellari⁹ Regni Poloniæ, Et Vicecancellari⁹, Cācellari⁹ Lituaniæ, & Vicecācellariu⁹, Thesaurari⁹ Poloniæ, Et Thesaurari⁹ Lituaniæ *Sunt & alij Officiales* extra ordinē Senatorū positi, trifariāq; diuisi: *Alij* qui totius Regni, aut Magni Ducatûs Lituaniæ officiales dicuntur; vt Exercituum Generales, Referendarij, Pocillatores, Dapiferi, vexilliferi, cæteriq; similes. *Alij* Aulæ Regiæ Officiales, vt Camerarius supremus, Præfecti & Vice Præfecti stabuli, Culinæ, curruum; venatores, Secretarij. *Alij deniq;* districtuum, seu Prouinciarum officiales: vt vrbium præfecti, Iudices, Gla-

diſeri, quæſtores, Tribuni, aliјq; plures qui Terreſtres Officiales appellantur.

Academiæ ſunt. Cracouienſis multis clariſſimis doctiſſimiſq; viris pollens: vbi plurimæ ingenuæ artes recitantur; Studium Theologiæ, Iuriſprudentiæ, *Medicinæ*, Philoſophiæ, ac Phiſicæ, Eloquentiæ, Aſtronomiæ deniq; & aliarum Mathematicarũ ſcientiarũ viret abunde. Huic incorporatæ plures aliæ Coloniæ vt Zamoſcenſis, Poſnanienſis, Vidauienſis, Olicenſis, Bialenſis &c. Sunt & plurimæ aliæ Scholæ ſeu Collegia vt vocãt PP. Societatis Ieſu. Florent & in Monaſterijs Religioſorum ſtudia tam Theologiæ, quam Philoſophiæ, & aliarũ ſcientiarum.

De Hũgaria & Trãſſyluania.

Hungaria partem tenet veteris Pãnoniæ, ſolo fæcundæ, viris fortis, armiſq;

misq; ac opibus maximè validæ quõdam regionis. Cuius *Termini sunt*, à septentrione Carpates Mons, quo à Polonia ac Russia separatur; ab Ortu Transsiluania, Tibisco; à Meridie, Slauonia Drauo Fluuijs dirempta; ab Occasu Austria, atq; Morauia; *Fluuij eius* quos iam retuli, & refero. *Lacus* Balaton & alij.

Diuiditur per Danubium in duas partes, nempe, *in superiorem*, quæ trãs Danubiũ, Poloniæ ac Trãssiluaniæ, contermina; *&* *inferiorem*, quæ cis Danubium est. Comitatus in Vniuersa censentur L: at maximam Regni partem hodiè Turcarum atrox imperium miserè diuexat. Superioris vrbes *vel* in Plano, vt Posonium (*Preßburg*) Metropolis nnnc Regni Agria, Varadinum, Tokay &c. *vel* in Montanis vt Cassouia, primaria huius ipsius Superioris Hungariæ, Eperies, Nitria, Torna &c. Inferioris

vrbes, Buda Metropolis quondam, totius Hungariæ, cui in aduersa ripa obiacet Pestum, & aliæ multæ sunt, Strigonium, Comora, Alba regalis, quinq; Ecclesiæ &c.

Transsyluania.

Transsyluania Daciæ veteris pars, rerumq; omnium feracissimus Principatus, præter experientiam quotidianam, testatur id Traiani Nummus, in quo Ceres erecta, dextera tenens Cornu Amaltheæ, leuâ tabellã cum hac Epigraphe *Abundantia Daciæ*. Terminatur Hungariâ, Poloniâ, Walachiâ, Moldauiâ; atq; siluis vndiq; vnde ei nomen latinum, & montium iugis, clauditur. Hæc Saxonibus quos præcipuè colonos recepit Germanice dicitur *Siebenburgen* Polonice *Siedmiogrodzka ziemiá*, quasi dicas Septem-castrensem à septem vrbium numero, quæ in hanc diem in ea claræ sunt; quarum primaria est

Cibi-

Cibinum, vulgo *Hermanstadt*: eam mediam interſecat Mariſus fluuius.

De Sclauonia, Croatia, Boſnia, Dalmatia.

Illyricum Regio aprica atq; amæna, ſolumq; fertile ac vitiferum, quatuor ſub ſe complectitur Prouincias. I. *Sclauoniam* quæ proprie inter Drauũ & Sauum fluuios interiacet, ab Occaſu Styriâ, ab ortu Danubio clauſa; cuius opida ſunt Poſega, Gradiſkia, Zagabria, Kopranicz validum contra Turcam munimentum. *Huic* adhæret Raſcia, populiq; Raſci. II *Eſt Croatia* Hungariæ vicina. III *Boſnia* ad amnem iacet ſui nominis, cuius vrbs *Iaytza* IV. *Dalmatia* in qua ſunt vrbes Sara, Sebennicum, cum vrbe Spalato, atq; Stridone Patria B. Hieronymi Eſt in eadem Dalmatia Comitatus Iadera, olim Liburnia dictus, Italice hodie Contado di Zara, nuncupatur.

De Græcia.

Græcia Illyrico coniuncta, antequam Orbis imperio Romani poti-rentur, Terrarum omnium dictis factisq; celeberrima; nunc tota à Turcis deuastata, in exiguis ruderibus deserta, & ipsâ barbarie magis barbara iacet.

Partes siue Regiones in quas potissimum diuiditur sunt istæ. Epirus nũc *canina*, Poloponnesus, nunc *Morea*, Hellas seu Græcia proprie dicta, nũc *Liualdia*, Thessalia, quæ nunc *Ianna*, Et Macedonia, quæ nunc sub Turca abolitis s. vt & in alijs priscis regionum ac populorum vocabulis nouũ nomen vt & aliæ habet, alibi *Iamboli*; alibi *Camenolitari*; alibi *Albania*.

Montes decantatissimi in ea sunt Athos, Olympus, Pelion, Pindus, Othrys, in Thessalia: Ceraunij in Epiro: Parnassus, Helicon, Hymettus in Achaia. *Promontorium nobile* Acti-

um,

um, ad quod commiſſa pugna Actiaca. *Sinus ſunt* Acarnanicus, Corinthiacus, cui adſidet Naupactus, Sarronicus, Thermaicus. *Flumina* Strymon, Aliacmon, Peneus, Sperchius, Achelous, Aſopus.

Inſulæ Græco littori obiacentes ſunt, *In Ionio* Corcyra, Nerigus, Cephalenia, Naxus, Ithaca, Zacynthns. *Inq; Ægæo* Creta hodie Candia, centum quondam vrbibus clara. ſunt & Cyclades, quarum notiſſimæ Delus, & Andros; Sporades, in quibus Icaria, Samos, Pathmos Claros Chicos, atq; aliæ.

De Thracia.

Thracia ſeu Romania inter validiſſimas Europæ Gentes maximè fera & barbara, poſt Strymonem amnem Macedoniæ proxima eſt: Regio nec Cælo læta, nec ſolo: Habet ad Boſphorum Conſtantinopolim quæ antea Bizantiũ dicta fuit, nunc Stam-

polda Turcis, Vrbium tota Europæ omnium maximam ac populosissimam, sedē Imperij Orientalis, quod nunc est Turcarum. Eandem vrbem quia Constantinus Imperator à quo & nomen & originem habet nouam Romam appellauit; inde nouum nomē Thraciæ ortum, quo nūc Romania indigetatur: certe fatali quodam genio dictum est hanc vrbem ad Regnorum caput natam, Romamq; nouam. Reliquæ vrbes sunt Hadrianopolis, Philippopolis, Traianopolis, Gallipolis &c.

De Mæsia, & Valachia cum Moldauia,

Dacia communiter vocatur quidquid est Regionum intra pontum Euxinum, Thraciam, Græciam, Dalmatiam, Pannonias, & Sarmatias. Hæc vel est Cis Danubiana, & meridionale Danubij latus attingit. vel Trans-Danubiana, quæ Septentrio-

nale

nale. Cis-Danubiana vocatur *Mæsia*, quam Romani Cereris horreum ob fertilitatem soli adpellauere; in Superiorem antiquitus quæ nunc *Seruia*, & Inferiorem quæ *Bulgaria* diuisa. illius caput regnumq; quondam sedes Senderouia, ad Istri ripam sita. huius Sophia vrbs magna & populosa. Trans-Danubiana, distincta est in Transiluaniam, de qua dictum iam ante: Et Walachiam Quæ alia est Maior. quæ *Moldauia* dicitur; cuius præcipua vrbs est Soczava. Alia Minor, quæ sic *Walachia* dicitur; cuius caput est Targowisko.

De Tartaria.

Tartaria Minor, siue przecopensis, ad differentiam Maioris Tartariæ quæ in Asia est, continet præter Tauricã Chersonesum, in qua Vrbes sunt Przekop vbi Regia sedes, Caffa, quæ est veterum Theodosia, & Crym vnde Tartaria Crymea: quidquid terrarũ

inter Tanaim, Borysthenem, & Sem fluuios, videtur.

De Moscouia.

Moscouia quæ & Russia Maior ac septentrionalior dicitur, omniũ vastissima, inculta, ac paludibus siluisq; inuia Finitur à Septentrione mari concreto; ab Ortu ijsdem finibus quibus Europa, hoc est Obio &c. à Meridie, Tartariâ minore, & fluuijs Tanai, Densa ac Psolâ: ab Occasu; Poloniâ, ac sueciæ Regnis, & fluuijs Borysthene, & Naruâ.

Diuiditur in complures Ducatus ac prouincias, quæ plerumq; à præcipuis Vrbibus denominantur. Ducatuum Princeps est Moscouia, nomen sortita à capite Imperij *Moskwa* vrbe ampla & populosa, vt quæ 41500 ædificia complectitur Cæteri Volodimiria, Nouogardia &c. Sunt præterea magni huius Ducis Imperio subiectæ Tartarorum quædam natio-

nationes Asiaticæ: de quibus post ea ipsa in Asia.

De Insulis Europæ in Oceano.

Hactenus fuerunt continentes Europæ Regiones; Sequuntur Insulæ, & Peninsulæ. *Insulæ* sunt, *vel* in Oceano, *vel* in Mari Mediterraneo De insulis in mediterraneo iam simul cum continentibus actum est: agendum nunc de Insulis in Oceano.

Insulæ in Oceano sunt Britannicæ insulæ plures. *Minores* quidem Orcades XXX. & Hebrides XXIV. *Maiores* verò Hibernia, vulgo Irlandia; & Albion, siue magna Britannia, cuius situm Ptolomæus infeliciter descripsit; diuisa in Scotiam & Angliam: iuxta quas sitæ sunt Insulę Mon, Anglesey, Vectis; Et Gallico littori appositæ Iersey & Gernesey.

De Peninsulis Europæ.

Peninsulæ sunt 1. *Dania* in qua Hafnia, (*Koppenhagen*) totius Regni caput

put. 2. *Noruegia*, quæ Daniæ regibus paret; in qua Nidrosia caput Regni, Regumq; quondam sedes; Bergi, emporium &c. Noruegiæ adhæret Prouincia Finmarchia. 3. *Suedia* seu Suecia; cuius Prouinciæ sunt Botnia, Lappia, Finnia, &c. Caput Regni, est Stockholmia. 4. *Deniq. Gothia*, his annumerari ab aliquibus solet.

De Asia.

Asia ab initio rerum omnium nobilissima; vt quæ prima genus mortalium in se conspexit, & in alias mũdi partes emisit; prima gentium, ritus, sacra, mores, rationemq; viuẽdi, alias docuit: hæc deniq; est, quæ Deum ipsum humanâ specie tulit. *Sita est* longissimeq; exporrecta versus Orientem & Septentrionem ab Æquatore, quem ferè non transcendit. *Eamq. diuidunt* ab Europa, Mare Ægæum, Hellespontus, Propontis.

Pon-

Pontus Euxinus, lacus Mæotis Tanaïs, & Obius flumen: Ab Africa, Isthmus & sinus Arabicus: Cætera clauduntur Mari Arabico, oceano Indico, Eoo, & Sarmatico. Vna autem Asia suâ magnitudine æquat Europam & Africam simul sumptas.

Montes hic insignes atq; admirandi, inter quos Mons maximus, & reliquorum Asiæ montium Pater, *Taurus*, qui totam Asiam dirimit, & varijs nominibus pro locorum situ appellatur per eandem totam Asiam, Imaus, Emodus, Paropamisus &c. Mare Caspium *de Sala* vel *Bachu* in hac orbis parte est, quod vndiq; terris clauditur.

Diuiditur Asia rectè in partes VI. Prima habet ditionem Imperatoris Turcarum 2. Persarum Dominium. 3. Indiam. 4, Chinas siue Sinas 5. Terras magni Tartarorum Chami. Moscus præterea habet ingentes

gentes regiones confines Tartaris. 6. Insulas Oceani, circa Asiam.

Turcicum Imperium.

Turcarum in Asia partes potiores sunt. Natolia, Syria, Arabia, Armenia, & aliæ de quibus ordine. *Natolia* quæ & Asia minor complectitur Regiones quæ antiquis nominatę; Pontus, Bithinia, Asia proprie dicta (cuius regiones *olim* hæ sunt, Phrygia, Mysia, Lydia, Caria, Æolis, Ionia, & Doris, *nunc* diuiditur in Tres Partes, quarum nomina sunt *Chiatale*, *Sartū*, & *Germian*) Lycia, Galatia, Pamphylia, Cappadocia, Cylicia, & Armenia Minor.

Syria diuiditur in Palæstinam, Phænicen, Antiochenen, Comagenen & Cælen, siue Cælesyryam. Ex his *Palæstina* Syriæ Prouincia nobilissima; diuisa erat & habitata ante Israelitarum ingressum septem populis: Amorrhæis, Chananæis, Gergæseis,

gæſeis, Hetthæis, Heuæis, Iebuſæis, & Pherecæis; quibus pulſis, Duodecem Tribus Iſrael eam inter ſe diuiſerunt; ac trans Iordanem quidem habitabant Tribus Ruben, Gad, & Manaſſe; cis verò Iordanem reliquæ nouem. Succeſſu temporis diuiſa fuit vniuerſa Palæſtina in Galilæam, Samariam, Iudæam, & Idumæam. *Eſt in hac lacus ingens* Aſphaltites, ſiue mare mortuum, in quem ſe effundit Iordanis fluuius, qui à duobus fontibus Ior, & Dan ortus, à ſeptentrione in meridiem tendit; & duos lacus, Samochoniten, & Genezareth, efficiens; tandem Aſphaltiti miſcetur: in hoc fuit Sodoma, & Gomorrha, aliæq; Pentapolis vrbes, vltricibus cæli flammis abſumptæ.

Arabia Triplex eſt *Petrea*, in qua Petra opidum. *Deſerta*, inter Ægyptum & Petream, *Felix*, inter mare

re

re Erythræum, & Persicum. in deserta sunt montes Sina, & Horeb; vbi Deus Mosi tabulas legis dedit.

Armenia Maior: Nam Armenia vniuersa diuiditur in Maiorem & Minorem, Euphrate amne interluente. *Maior est*, quæ nunc in tres partes diuisa *Turcomannia*, *Popul*, & *Curdi* appellatur. *Minor*, quæ nunc *Pegian*, & *Bozoch*.

Deniq; Albania, *Iberia*, & *Colchis*, cũ Insulis ad Asiã pertinẽtibus Tenedo, Icaria, Chio, Carpatho, Rhodo, Cypro

Vrbes in hac Asiæ parte sub Turca præcipuæ nunc sunt Damascus Syriæ, atq; alia eiusdem emporia, Alepum, Alexandriola, Berytus, Tripolis, & Ioppe, Syriæ omnia, Ad pontum in Cappadocia, Trapezus; In Arabia vero felice *Medina Talnabi*, id est, vrbs Prophetæ; quia Mahumetis Pseudoprophetæ delubrum atq; Sepulchrum in ea visuntur:

tur: *Mecca*, eiusdem Mahometis natalibus maximè nota: *Zidem*, Zibit, & *Aden*, omnium pulcherrima & munitissima ad fauces sinus Arabici. Fuerunt quondam Amasus, Prusa, Chalcedon, Abydus, Troia, Smyrna, Colophon, Ephesus, Miletus. Patara, Tarsus, Antiochia, Tyrus, Sidon, Ascalon, Azotus, Gaza, Hierosolyma, quam Ælius Adrianus à se Æliam vocari voluit. Hæ igitur Regiones & vrbes Asiæ cùm antea sub Assyriorum, Persarũ, Macedonum, Romanorum, ac suorum quæq; Regum imperijs omniũ nobilissimæ censerentur; Turcarum aduentu prorsus deuastatæ, barbarieq; postremâ fœdatæ sunt: Quarũ Regionum *fines* sunt, Mare Mediterraneum, ab Occasu; Arabicum, à Meridie; Imperium Persicum, ab Ortu; Tartaricum & Moscouiticum, à Septentrione. Præter hæc, permultas

prouin-

prouincias ac Regiones Turca in Europa, & Africa, complectitur. In Europa quidem Hungariam, & Thraciam cum vniversa Græcia, cum insulis Maris Egæi, Præterea Slauoniæ partem, Tum Bosniam, Seruiam, Rasciam, & Bulgariam. In Africa habet Algerium, Tunetum, Tripolim, totam Ægyptum. Hoc autem tantum Imperium cæpit sub Annum Christi 1300. Osmane (quem alij Ottomanum vocant) primo Conditore, tenuis conditionis homine Tartaro, Magni Chami milite; à quo descendentes Osmanides regnarunt continuá serie ad hæc vsq; tempora.

Persicum Imperium.

Persicum Imperium transmisso Euphrate sequitur, estq; proximum ei Mare Caspium; Terminus Persarum Imperij est Indus amnis. Sunt autem aut certe olim fuerunt in eo hæ regiones *Mesopotamia*, quæ nunc in duas

divi-

diuiditur partes quarum altera *Al-duli*; Altera *Diarbech*. *Babilonia*, quæ nunc *Caldar* vbi Babylon, vrchæa in sacris *Vr* Chaldæorum. *Media* quæ nunc *Sareb* dicitur, cuius Regia *Tauris*, & *Casmin* altera nunc, postquam erepta prior à Turca. *Assyria* nunc *Cusistan*; eius clariores vrbes Ninus quę Niniue in sacris literis à Nino condita Ctesiphon Parthorum Regia & Arbela. *Susiana* quæ nunc Elaran: vrbes claræ erant Susa, & Tariana. *Persis* quæ nunc *Farsi* in qua Metropolis est *Sira* vrbs pulchra ac splendida, quæ olim Persepolis dicebatur, eratq; caput Imperij Persici. *Parthia* nunc *Arac* vrbem habet Hecatompylum à centum portis sic dictam, quæ est caput Regni ac Regia. Aria, nunc *Diargument*, Hyrcania, nũc *Mesãdarã*. Margiana, nũc *Ieselbas*. Bactriana, nũc *Corasan*. Paropamisis quæ nũc *Sablestan* Arachosia, nũc *Cã-*

dahor

dahor. Drangiana, nunc *Sigeſtan*. Gedroſia, nunc *Gazarate*. Carmania tãdem; cuius prouinciæ ſunt, Kirmã, Goadel, Et Ormuz Regnum.

Flumina Perſiæ Euphrates, & Tigris, qui in Armenia orti diuerſis fontibus, poſtea iungũtur effundũtq́; ſe in mare Perſicum ſiue Rubrum. Mons *Taurus* varijs nominibus pro locorum ſitu inſignis.

India.

Indiam Gages mediam ſecat, quo fit vt *Pars eius Perſis vicina ſiue Occidua*, vocetur India intra Gangem: *Altera vero Orientalis* extra Gangem. In hac vtraq́; ſunt Regiones præcipuæ 9. Cambaia, Narſinga, Malabar, Orixa, Bengala, Pegu, Sian, Camboia: quas regiones incolunt diuerſæ admodũ, & non tantum moribus ac vitâ, ſed etiam linguâ diſcrepantes nationes Hebræi, Perſæ Scythæ, Arabes ſiue Mauri, Luſitani, Chriſtiani &c. *Tertia*

tia deinde additur Septentrionalis versus Septentrionem; quæ magnum Mogorem Regem agnoſcit, ex Tartaria huc tranſgreſſis Tartaris, qui Mogores dicuntur. Extare hic adhuc perhibentur reliquiæ Amazonum: nam annis præteritis antequam ſub Mogoris poteſtatem veniſſet Regnum, Regina in publicum prodibat, bis mille fæminis equo vectis, ſtipata. *Et Tandē quarto*, poſt õnes prędictas Prouincias; verſus Meridiem, & Orientem, ſunt duo Alia vaſtiſſima Regna: Cocincina, & Tunckinum, quæ olim erant pars Chinenſis Imperij; nunc proprios agnoſcunt Reges.

Merces Indiæ ſunt, Aurum, ſericum, gemmæ, vniones, Aromata *vt* piper, Caryophylli, nuces myriſticæ, cinnamonum, rhabarbarum, aliaq;

China.

Sinarum ſiue Chinarum Regnum in Zona temperata ſitum eſt: Terminaturq;

turq; Mari Eoo, Indiâ, & Tartariâ; à qua per ſpacium CCCC Leucarũ, vbi natura montium munimentum non dedit, muro diſcluditur, humanâ induſtriâ extructo. Regio ampliſſi- eſt: Prouinciæ in ea plurimæ: Metropoles CCXXV: Caſtella maiora MCLIV: Municipia CCCCXX: villarum pagorumq; numerus innumerus. Incolarum ſumma excreſcit ad LXX myriadas. Vrbes præcipuæ ſunt Panquin Nanquin, & Quinſai. Ciues ingenioſi, & induſtrij. Imprimendorum librorum ars apud illos antiqua eſt; vt & vſus tormentorum bellicorum, atq; aliarum artium.

Tartaria.

Tartari Septentrionalia Aſiæ tenẽt à Mæotide vſq; ad Oceanum Eoum; neq; vllius in toto orbe maius latiuſq; eſt Imperium. In hac Aſiæ parte, antequam Tartarorum nomen inclare-

clarescceret, *Erat* Sarmatia Asiatica; in qua habitabant inter alios Turcæ siue Turci, qui Turcicum condiderunt Imperium; Præterea Amazonum muliebre genus, omnium clarissimum: nunc Tartari Czetkassi eas terras tenent. *Erat* deinde Scythia Asiatica, quæ in duas diuidebatur partes; quæ Occasum spectat, Scythia intra Imaum montem; quæ Ortum, Scythia extra Imaum dicebatur. *Erat* insuper Serica, & Sogdiana; illa quam Seres incoluerunt, nunc *Cataia* regio dicitur; hæc nunc *Ocrage* seu *Verage*.

Tartaria igitur vniuersa diuiditur in Asiaticam, & Europæam, de qua supra diximus. *Asiatica* huius loci propria, nunc quinq; potissimum partibus distribuitur, quarum nomina hæc. *Tartaria deserta*, quæ multas hordas habet: quarum præcipuæ pleræq; ab opidis nominatæ sunt;

Zauolhensis, Casanensis, Nagaiensis, Tumensis, Schibanskensis Cosakensis, Astracanensis, & Baskirdensis: præter Tumensem, omnes istæ subiacent Moscouitæ. *Tartaria Zagataia*, in qua est Samarcanda, Tamberlanis patria. *Turkestan regnum*, veterum Sacarum regio. *Regnum Cataia*, hodie *Kitay*, Magno Chamo subiectum; in eo est Cambul sedes Magni Cham, vbi serici abundans negotiatio: hoc Regnum Cælo Soloq; vtitur propitio. *Tartaria vetus*: vbi Vng, & Mongul regiones; Gog, & Magog esse viri docti docent. *Pertinent autem* ad Septentriolem Tartariæ partem Samoitæ, oppositi Freto Weygaz. *Flumina in Tartaria præcipua sunt* Obius, & Paropamisus; Iaxartes, nunc *Chesel*; & Rha, nunc *Volga*.

Insulæ Asiæ adiacentes.

Insulæ Oceani Indici sunt, *Ceilon* 9. Regnis

Regnis diſtincta & *Maldiuæ* aliæ quarum numerus ignoratur; *Sumatra* quoq; inſula antiquis Taprobana, diuiſa in 8. Regna; deinde *Iaua* Maior, *Iaua* Minor. *Oceani Eoi ſiue Chinenſis* ſunt, ſunt *Borneo* ferax aromatum, *Moluca* numero V, occupatæ à Batanis; ſimiliter *Philippinæ, Iaponia* deniq; quæ abundat argento Cæteræ inſulæ gemmis, vnionibus, aromatibus; & *Corea* quæ an ſit inſula vel continens, nondum conſtat.

De Africa.

Africa, Maxima orbis terrarum peninſula, extendit ſe vtrinq; trans Tropicos; maximâ ſui parte ſubiecta ſolis ardoribus, ſicca, arenoſa, ſerpentibus vſq; adeò ſcatens, alibi deſerta ſit, alibi nonniſi ab ocreatis agricolis proſcindi poſſit; quædam tamẽ eius partes eximiè fertiles: quæ trans Æquatorem ſita ſunt, non de-

scribuntur à Græcis aut Romanis scriptoribus.

Mare, quod cingit Africam, est à Septentrione, mare Mediterraneum; ab Occidente, Atlanticum; à Meridie, mare Æthiopicum; ab Ortu, Rubrum. *Lacus sunt* Zaire, & Borreo. *Amnes nobilissimi eiusdem sunt* Mulucha, qui Mauritaniam finit; Ampsaga, qui Numidiam; Nilus, insulam faciens Meròén, quæ nunc dicitur *Gueguere*; & Niger. Ad Nilum fuit Mẽphis, nuc Cairus; cui, vicinæ Pyramides.

Montes in ea præcipui Heptadelphi, Abyle, Atlas, lunæ. Porro Atlas sic per Africam discurrit, sicut per Asiã, Taurus, per Europam Alpes *Promontoria* Cantin, Verde, de las palmas, de Bona Esperanza, & alia.

Regiones atq; gentes in quas diuisa fuit quondam Africa sunt, Ægyptus, Cyrenaica, Africa Minor seu propriè dicta,

dicta, Troglodytæ, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Libya interior, Arabia Troglodytica, & Æthiopia. *Sed nunc diuiditur vniuersa* in VII. potissimum partes siue Regiones: quas hodiè partim tenet Turca; partim Serifus quem vocant; partim Reges alij; partim deniq; Hispaniarum Rex. Nomina Regionum sunt ista.

I. *Ægyptus*, quæ Nili ostijs continetur, Turcæ subiecta; habet Cairum, vrbem stupendæ magnitudinis, quæ quondam Memphis siue Babilon, à qua non longe abest hortus Balsami *Materea* dictus, è Iudæa vbi olim fuit huc translatus; deinde habet Alexãdriam, Pharum, Raschitt, Damiatam.

II. *Barbaria* ab Ægypto vsq; ad fretum Gaditanum extenditur in Sex partes Diuisa; quarum *Vna* est Prouincia Barcana, *quinq; reliq;* sunt Re-

gna, Tunetanum, Tremisenum, Fessanum, Maurocanum, & Darense. ab Vrbibus denominata.

III *Numidia* hodie *Biledulgerid*, longissimè, ab Ægypti confinibus, à tergo dictarum regionum, vsq; ad oceanum Atlanticum, se extendit.

IV. *Sarra* desertum, continuatur huic regioni versus Meridiem.

V. *Nigritarum regio*; cuius incolæ Nigerrimi, amplâ regione habitant ad vtramq; Nigri amnis ripam.

VI. *Æthiopia Interior* siue Superior, hodie Abyssinorum Imperium, cuius Regem, magno recepto tamen errore, faciunt Presbyterum, siue Pretiosum Ioannem Hic inter maximos nostræ ætatis Monarchas proculdubio censendus, vt qui inter vtrumq; Tropicum à Mari Rubro ad Æthiopicum fere Oceanum pertingat, inquit Atlas: Regis Titulum vide ibidem, & in Breuiario orbis terram

Pauli

Pauli Bertij licet hodie diminutam eius esse potentiam dicant alij.

VII. *Æthiopia Exterior siue Inferior* reliquum Africæ perhibetur, cuius Regiones & Regna in quas diuiditur sunt: Congi, Monomotapa, Zangibar, & Aian, ab vrbibus appellata.

VIII. *Insulæ ad Africam* quarum Nobiliores hæ sunt. In Oceano Atlantico est Insula portûs Sancti; Est Madera, Sunt Canariæ, & Capitis viridis In Oceano Æthiopico sunt Insula Principis, & S. Thomæ. Post promontorium Bonæ Spei sunt aliæ insulæ incultæ omnes, præter vnam S. Laurentij incolis *Madagascar*.

De America.

America spectanda superest inter mare *del Zur* & *del Nort* interiecta; eã dubiâ perdiu suspicione, postea accuratiore Christophori columbi Genuensis, & multò adhuc accuratiore Americi

rici Veſputij Florentini à quo nomẽ habet ſuorum inuentorum; poſtea frequenti aliorum, inter quos Corteſius, Valboa, Pizarus, & Ferdinãdus Magellanes inſpectione, cognitam deſcriptamq́;. ob ingentem amplitudinem ſtatim *Nouum Orbem* vocauere. inuenta autem eſt Anno 1497

Diuiditur vniuerſa in Septentrionalem, & Auſtralem, q́uas partes connectit Iſthmus. *In illa ſunt* Canada, Noua Francia, Virginia, Florida, Noua Hiſpania, Noua Granata, California; & in occidentali latere ad fretum Anian duo Regna, Quivira, & Anian, vnde freto cognomen. *In hac ſunt.* Caſtella aurea, Bogota, Peruuia, Chili, Chica, Braſilia, Caribana, Guiana, Biquiri, omnes oceano perfuſæ. Intus verò in mediterraneis Amazonum regio, Paguan, Picora, Moxos, Vram, Charchas. Vrbiũ præcipuæ in *America* ſunt Cuſ-

co,

co, Mexico, Quito, Hauana, Nombre de Dios.

Fluuij præcipui sunt Paragnian, Maragnion qui idem vocatur fluuius Amazonum, Fluuius Argenteus (*Rio de la plata*) & Caramara.

Insulæ in sinu Mexicano sunt nobiliores. *Cuba*, Hispaniola quæ & *S. Dominici* insula vocatur, *Iamaica &c.* Vlterius ortum versus sunt *Azores* siue Flandricæ, ad quarum meridianum acus magnetica rectà in Septentrionem fertur. Merces Americanæ sũt, Argentum, Coria, Sal, Conciniglia, Gemmæ, vniones.

Sic iam explicatis breuiter summarieq; IV. partibus generalibus huius immensæ orbis Terrarum Machinæ: Restant reliquæ duæ eiusdem partes, Arctica nempe; & Antarctica.

De Terra Arctica.

Ad Arctoam siue Borealem mundi partem, subiectam Polo Arctico, pertinet, quidquid siue Continentis, siue Insularum reperitur circa polum Arcticum, à quatuor hactenus enumeratis partibus distinctum; cuiusmodi sunt.

Regio *Subpolaris* incognita, *Groenlandia*, gramina gignens herbasq; virentes, à quibus & nomen accepit, *Spitsbergia* siue Niculandia, *Frislandia*, *Islandia*, quam putant esse Thulen veterum; in qua mons Hecla sempiterno æstuans igne, & non procul inde sulphuris fodinæ, *Noua Zembla* tota nuda & impascua fætaq; animalibus carniuoris, cum Mari *Hyperboreo*, & Fretis duobus, *Waygaz*, & *Dauis*; quorum isto Hollandi, hoc Angli in Indiam compendiosiore viâ penetrare, quamvis irrito conamine adorti sunt; & si quid est aliud etiam non-

dum

dum cognitum: quod verò de Euripis hic aliqui dicunt, id fabulosum est.

De Terra Antarctica.

Ad Antarcticam, (quæ vocatur etiam terra Australis: quia nobis vltima versus austrum sita est; eadem terra Incognita est dicta, quia nemo illam penitus ingressus est: quin etiam Magellanica, quia Magellano versus austrum primum conspecta) referendæ sunt vastæ illæ regiones quæ polo Antarctico subiectæ, post Fretum Magellanicum, post Mare Æthiopicum hinc, & post Pacificum illinc, longe lateq; extenduntur per tres Zonas, Frigidam, Temperatam, & Torridam; vt non immerito Europam, & Africam simul sumptas, æquare credantur. Sunt in littoribus eius aliqualiter cognitis Terra *del fuego*, id est terra ignis, *Noua Guinea, Beach, Lucach, Maletur, Regio Psitacorum,*

rum, & circa ipſam in mari Pacifico ſunt Inſulæ *Salomoniũ*, *Aquada*, *Latronũ*, *Vulcanorum*, *Cocas*, *Bonæ ſpei*, & *Equorum*.

Permiſſu Magnifici Dñi RECTORIS.

Cedat ad Maiorem D. O. M. Creatoris Cæli & terræ Gloriam. Nos vero per hæc viſibilia in terra, ad ea quæ ſunt inuiſibilia in Cælo amorem rapiamur.

C. S.

Pag:	*Ver:*	*Errata*	*Corrige.*
13.	16.	Polo	Polari.
	17.	Antarcticũ	Arcticũ.
16.	12.	ab ſe	à ſe.
37.	13.	ſe	ſibi.
55.	11.	Taurianorũ	Taurinorũ.
61.	15.	quæ	quos.

K